

5
olio no.

DC
531



127

127

69


Gl. 38.

~~BB. 1.~~

d.



Lautman



JOH. HENRICI
RHONII
JUS SUPPLICUM.
SIVE
DISSERTATIO
HISTORICO-
POLITICA
DE
ASYLLIS.



TIGURI,

ANNO

cl^o l^o LXVII.
g.

JOHN HENRI
KNOX

JUS SUPREMACUM

1792

DISSERTATIO

HISTORICA

POLITICA

DE


ASSYRIIS



TIGHELLI

—————

1792



V I R O

ADMODUM REVERENDO,
CLARISSIMO AC CELE-
BERRIMO

D O M I N O

JOH. HENRICO

HEIDEGGERO,

SS. THEOL. DOCTORI,
ET PHILOSOPHIÆ MORA-
LIS IN GYMNASIO PA-
TRIO PROFESSORI
SOLERTIS-
SIMO,

AMICÒ ET FAUTORI
SUO PLURIMUM
COLENDO.

* * * 2

VI-



VIR

ADMODUM REVE-
RENDE, CLARISSIME.
AC CELEBERRIME,

QUòd hanc meam hiber-
nam lucubrationē Excel-
lentissimo Nomini tuo inscri-
bam, haud parùm audax for-
te primâ specie inceptum vide-
bitur, muneris & offerentis in-
dignitate; cæterùm ubi cogi-
taveris, nusquam à famosissi-
mis Regibus Principibúsq̄
vel abjectissima dona sp̄reta,
& sublimis animi argumen-
tum haberi, munera non pre-
tio, sed dantis æstimare animo,
facilè mihi pro tua modestia,
quâ semper laudabilis fuisti,
audaciæ gratiam facies. Equi-
dem diu dubius, cujus potissi-
mum

✽(o)✽

mum Viri nomine magis in-
clyta hæc Dissertatio animis
se legentium & famæ, si quæ
inde sperari debet aut potest,
insinuaret, nullius tandem
æq; ac Tuum, *Vir Celeberrime*, in
utrumq; efficax fore credidi;
ita enim eruditissimis scriptis
clarum id jam non in Patria mo-
dò, sed magis ad externos feci-
sti, ut qui aliqua ad Te consue-
tudine vel amicitia jure perti-
nuerint, magnum inde fru-
ctum habeant, faciles ad Viros
ubique in literis celebres adi-
tus: quod ante triennium iti-
nere Belgico magna cum uti-
litate simul & jucunditate sum
expertus. Studia inde mea,
dum iis Steinfurthi sub tuis au-
spiciis operarer, ita favore,
consilio, opera benignè juvisti

* * 3

ac

ac promovisti, ut, quod Alexander ille M. Aristoteli, me Tibi debere ultrò profitear, τὸ εἶναι εἰναι. Memorare hoc loco possem, quantum in egregia tua Bibliotheca ad meos profectus subsidii habuerim, quantum ex Collegiis privatis in Authores Græcos & Latinos emolumentum, quantum denique commodorum ex illis mensalibus Colloquiis, quæ nunquam me non auctiorem, instructiorem, meliorem dimisere: sed non admittit perspecta tua modestia; nec caperent hæc chartæ prolixam futuram, non idèò tamen pro merito, eorum omnium commemorationem. Libentiùs te beneficia facere quàm pro iis laudari, olim novi. Id unicè rogo, ut, quo
 ha.

hactenus affectu me studiâque
 mea es amplexus, eum in me
 perpetuum esse velis: &, quod
 maximè cuperem, cominen-
 datione ad Amicos exteros,
 quâ unâ plurimum vales, me
 tibi ulterius obstringas. Nô-
 sti, quò nitar; & quàm avi-
 dè arrepturus essem, si quid me-
 lius presentibus fors ostenderet.
 Nondum in publicum consilia
 nudabo: scio enim inter quos
 vivam; sed dum privatus ex-
 specto, quid de me fortuna de-
 creverit, bonis artibus intentus
 id agam, ut impensa hactenus
 in mea studia opera non inuti-
 lis evadat. *Historia Helvetica*,
 quam puriori aliquo sermone
 me scripturum diu est quod
 promisi, si *Celeb. D. Hottingerus*

&


•(O)•

& Tu, *Vir Excellentissime*, cun-
ctantem subinde excitaveritis,
lucem quoque quàm primùm
poterit fieri videbit. Vale, *Vir*
Excellentissime, & quod hactenus
studiosè fecisti, favore tuo me
prosequi perge. Dabam ex Mu-
sæo Cal. Maj. cl^o bc LXVII.

EXCELLENTIÆ
TUÆ

Studiosissimus Cultor

JOH. HENRICUS RHONIUS.



JUS SUPPLICUM,
Sive
 DISSERTATIO
 HISTORICO-
 POLITICA.

DE
 ASYLIS.

PRÆFATIO

QUamvis noverim, A-
 mice Lector, magna
 in litteris nomina, Petrum
 Sarpum, Georg. Rittershu-
 sium, Paulum Venetum, in
 tractanda, quam tibi nunc
 propono, materie egregiam
 rei litterariæ operam navâsse,

A &

&, dum summam eruditionis
 famam quærerent & adipisce-
 rentur, quidquid circa hanc
 meditari posset sequioris æta-
 tis industria, id omne celeberrima
 ingenia jam ante cepisse; tamen
 quia viderem, aliis jam diu
 memorata repetere & pro tuo orbi
 vendere, modò alium induas scribendi
 ordinem, aliis utâre verbis, & vestigia
 aliorum, quum eandem infitos
 viam, sedulò tamen declines,
 seculum vocari; mihi quoque ab
 æquis iudicibus impetrabilem fore
 veniam speravi, si post tot Roscios
 & ipse Comœdiam saltarem, &
 quæ ipsi vel supervacanea amplexi
 sunt, decerperem, vel necessaria
 non scripsere, idque, ubi fieri
 posset, compositioni
 or-

ord
 qu
 au
 ex
 str
 me
 au
 tan
 (est
 que
 str
 tra
 not
 ex
 est)
 nii
 Scr
 cau
 vire
 mir
 sub
 cor

ordine, adderem: præsertim
 quum, non ex infimi subsellii
 auctoribus obvia cuivis, sed
 ex optimis prudentiæ Magi-
 stris utilissima quæque studiosè
 me congeffisse, sine jactantia
 ausim præfari. Malui enim
 tantorum virorum sententias,
 (est ubi & verba) in rebus uti-
 que quorum nulla ad no-
 stram memoriam, nisi eorum
 tradita Commentariis, venit
 notitia, vulgare, quàm multa
 ex meo penu (qui sanè inanis
 est) promendo, nimum inge-
 nii viribus indulgisse videri.
 Scribendum certè etiam eâ
 causâ aliquid tuit, ne animi
 vires otio senescerent: sed ho-
 minum vel pronis judiciis ad
 sublimiora, vel aduersis ad
 corrigenda quæ jam mihi de-

A 2

sunt,

sunt ; incitarentur. Pudet enim jam tandem diutinæ quietis , quæ expers publicæ laudis , dum sibi operatur , aliis segnitia videtur. Itaque, utut res ceciderit , in omnem eventum manum operi admovebo , de fama nihil sollicitus , si mihi modò ad rerum Civilium cognitionem aliquid , quod non ante novi , accesserit. ἐπιτίθημι κούρεον.



CA-



CAPUT I.

Nomen Asyli. Definitio. Origo Asylorum. Quae pro Asyulis olim habitata, & nunc habeantur.

DE nomine *Asyli* variè sentiunt Auctores. *Servius Grammaticus* componit ex α . privativo & verbo $\sigma\upsilon\rho\omega$ traho: unde $\acute{\alpha}\tau\upsilon\rho\omicron\nu$, & per lambdacismum dictum sit $\acute{\alpha}\sigma\upsilon\lambda\omicron\nu$. Alii conventiùs construunt ex α . privativo & $\sigma\upsilon\lambda\acute{\alpha}\omega$ rapio, prador; quod ex Asyulis neminem rapere fas sit. Inde $\acute{\alpha}\sigma\upsilon\lambda\acute{\iota}\alpha$ ipsum illud securitatis privilegium dicitur, & $\acute{\alpha}\sigma\upsilon\lambda\acute{\alpha}\rho\chi\eta$ vel uno verbo $\acute{\alpha}\sigma\upsilon\lambda\acute{\alpha}\rho\chi\eta\varsigma$ (ut sæpe apud *Dionysium Halicarnassenseum*) dicitur Magistratus inviolabilis, qualis Romæ fuit Tribunitia potestas. *Villalpandus Jesuita*, nescio quo novitatis

*ad 3.
Æneid.*

*In
Ezech.
Tom. 2.
part. 2.
libr. 3.*

A 3

Itu. c. 25.

studio, ad Hebræam originem
 recurrit, & suspicatur, Græ-
 cos nomen *Asyli* ex Hebraico
 אָשׁוּלָה quod est *juvare*, vertisse in
Asyrum, mox in *Asylum*. Quòd
 olim ἄσυλον, inde mutuantes,
 ut multa alia, Latini *Asylum*,
 dixere, id Galli vocant *Franchise*,
 Germani *Freiheit* / LXX.
 Sacri Codicis Interpretes mo-
 dò φυγαδότηειον, modò φυγα-
 σεϊον, aliquando & καταφυγήν.
 Quorum culpâ Latinus sermo
 ex pura origine pessimè corru-
 ptus est, *immunitatem* appellâ-
 runt. Hinc tam crebra apud
 Juris Canonici vel compilato-
 res vel interpretes de immuni-
 tatibus Ecclesiasticis tractatio,
 quarum pars Ecclesiarum ἀσυ-
 λία. Sed de nomine nihil labo-
 randum est, ubi de re ipsa omni-
 bus constat. *Asylum* enim
 omnes definiunt, quòd sit locus
 (aliquando & persona) consecra-
 tio-

7
tionis Lege, vel à Divino numine
vel summa potestatis auctoritate la-
tâ, inviolabilis, ad quem confugien-
tes sine piaculo avelli non possunt.
Pollux Grecè ita describit: εἰ δὲ
ἡγὰ ἀσυλὸν πᾶσι, τῶτο ἡγὰ κρησφύ-
γετον λέγετ' ἢ φύξιμον, ἡγὰ ἱερῶς ὄρεσσ,
ἐφ' ὅσον τῶ οἰκέταις ἀσφάλεια. Sed
si aliquod Asylum fuerit, latebram
vocabis ἢ refugium, sacros termi-
nos, in quibus servis securitas præ-
betur. Particulare ponit pro
universali, servorum refugium
pro qualicunque miserorum
receptu. Addidi in priori de-
finitione: aliquando ἢ persona,
quia, ut modò dixi, etiam Tri-
buni plebis in Romana Rep. &
communiter etiam Legati ἀσυ-
λοι habentur. Inferius autem,
etiam ad statuas (quæ sunt per-
sonarum expressæ imagines)
pedes Principis vel Sacerdo-
tis &c. extensum fuisse Asylæ
jus docebo. Dixi etiam, sum-

In Ono-
mast. l.
I. C. I.

ma potestatis auctoritate lata, ut excluderem, quicquid inferiores Magistratus in condendis Asyulis sibi sumere vellent, & unius ac solius Principalis Majestatis auspiciis totum hoc opus peragendum indicarem, etiam Episcoporum, nisi ubi simul & Principes seculares sunt, excluso jure. Sed de nomine & definitione Asyulorum satis.

Verum nec de *origine* eorum inter Auctores satis convenit. Qui juris Naturalis, adeoque Legis perpetuae & immutabilis, esse velint Asyulorum constitutionem, non desunt: à quorum ego sententia totus alienus sum; quum jus Asyulorum sit privilegium: privilegium autem nullum à natura. Privilegia enim (de personalibus loquor) sunt exemptiones à Jure ordinario, sive privatorum Leges, latae vel necessitatis,

*Godofred. ad
l. 141.
c. 196.
ff. de
Reg.
jur.*

tis, vel utilitatis tam publicæ
quàm privatæ Imperantis
causâ, vel denique in gra-
tiam bene merentium Civium.
Illud quidem Juris Naturalis ef-
se fateor, ubi nulla est culpa,
nullam esse pœnam, neque in
eos armari Judicium severita-
tem, qui non sponte mali sunt:
sed quòd talibus concessa sint
certa loca, quòd refugientes à
furore læsi, qui plerumque
acerrimus est in recentiluctu,
tuti sint, id primò fuit Legis Di-
vinæ positivæ; inde, aliis at-
que aliis Gentibus mutuan-
tibus ab Israëlitis exemplum,
facta est juris forensis Univer-
salis, quod Jcti & præter an-
tiquos rerum civilium aucto-
res recentiores nonnulli *Jus*
Gentium vocant: idque in super
ex eo constat, quòd hæc Asy-
lorum immunitas pro usu ac
temporibus Reip. sæpe mutata

As

sit,

fit, imò etiam, si ita fuerit è pu-
 blico bono, in totum aboleri
 possit, quum tamen ea, quæ
 sunt Juris Naturæ, nulla pote-
 stas Civilis mutare aut abroga-
 re possit. Sed quod modò
 memoravi Legis divinæ positi-
 væ esse, id Gentiles Scripto-
 res, ut pleraque alia, ad huma-
 nam originem referunt, sacra-
 rum paginarum ignorantia, vel
 quia non ad primam omnino
 originem; sed ad id quod pri-
 mum in sua cujusq; terra fuit,
 respexere. Aliqui enim primum
Asylum condidisse Cadmum di-
 cunt, ut Thebas, quas struxisse
 perhibetur, incolis repletet: à
 quibus dissentiunt Servius *loc.*
Ad 2. supra cit. & Pomponius Sabinus,
Æneid. qui nepotes Herculis primos si-
Virgil. bi Athenis *Asylum* constituisse
 ex priscis Auctoribus adfir-
 mant. Nos, ut dixi, ex Sa-
 crarum Literarum Codice lon-
 gè

gè ab his alia & certiora habemus. ex quo paulò post probabimus, Deo auctore, illam de Asylis Legem per Moysen ad Populum esse latam. Moysen autem & Cadmo & Herculis nepotibus esse vetustiore, consentiens est Chronologorum opinio. Ergò non antiquissima in terris Cadmi vel Herculis Nepotum Asyla, sed vel in terra Attica vel Bœotica prima. Sed initio, ubi primùm hoc divino munere mortalibus concessum privilegium est, *Urbes* tantùm pro Asylis fuere, multasq; apud gentes ut essent, usu invaluit: postea ad *Templa* translata religio: & hæc jam inveteratâ consuetudine apud Pontificios prope sola Asyla habentur; etiamsi nullâ speciali consecratione vel summæ potestatis beneficio id privilegii acceperint. Quod clariùs constabit,

bit, ubi ad Historiam Asyloꝝ nos instituti ordo perduxerit. In *Codice Justiniano* peculiaris est titulus *de his qui ad Ecclesias confugiunt*. Jus verò Canonicum, ad conciliandam suis Templis nescio quam venerationis famam, plus æquo iis indulgit, & usque ad trigesimum ab Ecclesiæ januis passum *ἀσυλίας* beneficium extendit, ut docet *Gratian. Caus. 17. q. 7. c. definiuit*.

Resolut.

Moral.

part. 6.

tract. 1.

Instit.

Moral.

part. 2.

lib. 4.

c. 1.

Cujus tamen Interpretes, & inter eos *Diana & Azorius*, levissima permittendis sceleribus ingenia, tanquam parùm munifici fuissent Pontifices, usque ad pollutas, interdictas & dirutas Ecclesias, nefando flagitio, sacratissimam deduxere Legem. Et fuit sanè hoc par Jesuitarum, ut alibi etiam nobis & fortè sæpiùs ex occasione adnotabitur, flagitiorum plus æquo indulgens. ¶ Quos si judi-

ces

ces vel patronos causarum dedisset vocationis suæ officium, vel etiam Principum suorum delectus, nullum non crimen his auctoribus impunè fuisset: sed jam minùs periculosè scriptis quàm decretoriis sententiis nocent: quamvis etiam illis ob nomen & auctoritatem suam multis ad peccandum Magistri sint. Hæc semel dicere de illorum hominum ingeniis debui. Ad ordinè jam redeo. Præter Tempia *Aras* etiam Asylo- rum loco fuisse apud ipsos Is- raëlitas, patet ex Exod. XXI. 14. 1. Reg. 1. ubi Adonias legi- tur, timens Salomonem jam Regem creatum, abiisse, & ar- ripuisse cornua altaris: quod de Joabo etiam eodem libro me- moratur. Nec minùs apud Chri- stianos sacræ olim habebantur & nunc habentur Aræ, ut patet ex 1. 3. *C. de his qui ad Eccles. con-*

A 7 fug.

fug. Idq; Gentilium etiam moribus sancitum fuit. De Ara Misericordiæ apud Athenienses in loco dicam. In Epiro sacram Dianæ Aram fuisse, *au-*
libr. 28. Etor est *Justinus*, ad quam metu hostium fugiens Laodamia, ex Regio Macedonum genere uxor, concursu Populi interfecta sit; sed non inulta: nam deos immortales id facinus assiduis cladibus gentis & prope interitu totius Populi vindicasse, Milonemque ipsum, Laodamiæ percussorem, in furorem versum brevi post interiisse. De

2. Æ. Asylaribus Aris amplius ex *Vir-*
neid. *gilio* constat, ubi ita canit:

Hic Hecuba & nata necquidquam altaria circum,

Precipites atrâ ceu tempestate columba,

Condense, & Divûm amplexa simulacra tenebant.

Ac mox ipsa Hecuba:

Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omnes.

Et

Et ex Euripide in Andromache:

Ἐχθ' γὰρ κατὰ φύσιν θῆρ' μὲν
πέτραν,

Δῆλοι δὲ βωμὸς θεῶν.

Habent confugium fera quidem pe-
tram,

Servi autem Aras Deorum.

Statua etiam Principum, post-
quam ad unum rei Romanæ
summa delata est, pro Asylis co-
li cœptæ, ut constat ex multis
Juris Justiniani priscorumque
Auctorum locis; & peculiaris
est titulus in Codice de his qui
ad Statuas Principum confugiunt.
Quin etiam ante Principum
tempora Statuas Regum san-
ctas habitas, exemplum Decii
Magii Campanorum Principis,
cui fuga ad statuam Ptolomæi
Cyrenis salutis fuit, docet apud
Livium lib. 23. c. 10. & Seneca lib.
1. de Clem. c. 18. ait: servis ad sta-
tuam licet fugere, cum in servum
omnia liceant. Et cur in hanc ef-
fu-

S. sed.

Inst. de

his qui

sui vel

alien.

jur. sunt

l. 1. §. 1

ff. de

Pres.

Urb. &

l. 17. §.

12. ff. de

Ædilit.

Edict.

fusam ambitionem prolapsos credideris primos illos Reges Imperatoresque, nisi quòd humiliter obsequium à subditis sperarent, si hoc statuarum cultu diis se immortalibus æquari sinerent. Quosdam etiam studium famæ, ad quam Principibus præcipua rerum dirigenda (*Tacit. Annal. 4. 40.*) huc impulisse crediderim; & honestam ambitionem, quâ non in præsens tantùm & familiaribus, sed extra palatium degentibus, nec temere in aspectum Majestatis, cujus major est ex longinquo reverentia, admittis, & sequenti etiam ævo innotescere volebant. Sed hic honos, dum recens fuit, tolerabilem intra modum se continuit; postquam crescente vi Imperatorum adulatio simul certatim in aulas Principum invasit morésq; corrupit, major æquo
Im.

Imperatorum imaginibus reverentia haberi coepit: & Majestatis Lege, omnium accusatorum complemento, sævitum in eos, qui has conflarent aut venderent: imò in tantum vana processit religio, ut capitale quoque esset, circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestimenta mutasse, aliàque ridiculæ ambitionis Imperatoriæ violatæ crimina, ut ex multis Taciti & Suetonii locis probare possem, si ea nunc causa ageretur. Sed, quum hæc ratione plurima flagitia impunè committerentur, posteriorum Imperatorum diligentia hunc statuarum abusum sustulit. Digna lectu sunt, quæ elegantissimè Tiberii jam Principatu in eum dixit C. Cestius apud Tacit. *Annal.* 3. 36. Et de statu is earumque ἀσουλία multa eruditè & cum judicio congescit *Rittershus.*

Tacit.
Ann. 3.
38.

l. 35. ff.
de injur
l. 28
§. ad
statuas.
ff. de
Pœnis.

c. 13. de *fur. Asyl.* Hanc immunitatem etiam ad *sepulchra & cœmeteria* transtulit Gentilium. Pontificiorumque vana superstitio. Refert. *Xiphilinus*, *Lepidum & M. Antonium* Triumviros, quum plus satis in eos, qui *Julii* mortis conscii fuerant, sæviissent, omniæque funeribus & interfectorum sanguine compleissent, nihil denique ad nefandam crudelitatem reliquifecissent, velut jam satiati tot contumeliis, *Julio* demum *Cæsari* sepulchrum construxisse in foro, ubi ejus cadaver combustum fuerat, eosque qui ad id confugerent tutos & inviolatos esse voluisse. Eadem religio tributa *Thesei* sepulchro *Athenis*, authore *Plutarcho*, & tumulo *Mariæ* uxoris *Cæsaris Alexii*, referente *Cedreno*. De *Cœmeteriorum* immunitate pleni sunt *Canonistarum* *Commen-*

mentarii. Simili cultu, Majesta-
tis credo ad vulgus concilian-
dæ causâ, *Sacerdotes suos & Prin-*
cipes ipsos persecuti non Ethnici
modò, sed etiam Christiani sunt.

Plutarchus memorat, Sacerdo-
ti Jovis lectulum ad ipsum do-
mûs vestibulum posuisse Roma-
nos, & qui ad genua ejus acci-
disset, illum eâ die à verberi-
bus & supplicio immunem fuis-
se, ac si vinctus esset, solutum.

De flamine Diali *Gellius: si quis*
ad verberandum ductus, si ad pe-
des ejus supplex procubuerit, eo die
verberari piaculum est. Quod et-
iam privilegii habuisse qui ad
genua Principis provolveren-
tur, sunt qui ex *Seneca* probent.

Atque eodem nonnulli confe-
runt Constitutione Leonis Im-
peratoris in l. 3. C. de his qui ad
Sanct. Eccles. ut nulla sint Asyla in
Regia Urbe, in qua Imperator divi-
nitare propitiâ degens, quoties usus

exe-

in
quest.
Rom.

libr. 10.
Noct.
Att.
c. 15.

lib. 3. de
Ira c.
40.

exegerit, invocatus singulis perso-
nis atque causis presentanea con-
stituta prestat, ut habent verba
Legis. Signa quoque castrensia
idem juris habuisse, ex uno
Taciti loco *Annal.* 1. 39. manife-
stum est, ubi ita de Planco: *illic*
signa & aquilam amplexus religio-
ne sese rutabatur: ac, ni aquilifer
Calpurnius vim extremam arcuis-
set, rarum etiam inter hostes. Lega-
tus Populi Rom. Romanis in castris
sanguine suo altaria deum comma-
culavisset. Illud etiam non si-
lento transibo, quod priscorum
temporum Scriptores memoriae
prodidere, integras olim gentes
per fugium calamitosis prae buif-

lib. 6. se. De Arimphæis ita Plinius:
Histor. Arimphæi, vicini Scythis, haud
Nat. c. dissimilis Hyperboreis gens; sedes
13. illis nemora, alimenta bacca: capil-
lus juxta foeminis virisque in probro
existimatur: ritus clementes. Ita-
que sacros haberi narrant, in viola-

tos.

rōsque esse etiam feris accolarum
 Populis: nec ipsos modò, sed illos et-
 iam qui ad eos profugerint. Eadem
 etiam refert Solinus, *Mela lib. I. in Poly-*
cap. ult. Herodot. in Melpomene, hist. c.
 Quibus non dissimilia de Tyssa- 27.
 gatis narrat Bonfinius. Et hæc lib. I.
 quidem Gentilium vana super- Decad.
 stitio religiosa fecit. Ponti- I.
 ficiorum nimia cæremoniarum
 suarum veneratio in ulteriora
 processit: atque adeò, quæ
 solis quibusdam urbibus privi-
 legia concessit divina Lex, in
 promiscuo esse voluit, ut etiam
Domus Episcoporum, ut infra ex-
 plicabitur, & *Xenedochia Asyla*
 fecerit. In illo videri possent
 Ethnicorum vestigia secuti,
 quum apud Romanos quoque
 Flaminis Dialis ædes vinctis li-
 bertatem dederit, si eam introie-
 rint, ut ex Fabio Pictore refert
Gellius loco supra cit. Quoad Xe-
 nodochia, ne juris quidem Ci-

vilis auctoritate destituuntur
 Canonistæ, ut facilis est conje-
 ctura ex l. 35. C. de Episc. & Cler.
 Neque hic stetit Pontificiis sua
 vanitas; & parùm diligentes
 Religionum cultores sibi vide-
 bantur, nisi & Cruces & Bapti-
 steria omnémq; alium supersti-
 tionis suæ apparatus divinis
 honoribus æquarent. De Cru-
 cibus ita sanxit *Concilium Claro-*
montanum, celebratum Anno
 1095. si quis ad aliquam crucem
 in via, persequentibus inimicis, con-
 fugerit, liber ac si in ipsa Ecclesia
 permaneat. Eandemque relli-
 gionem tribui vulgò *reliquiis*
Sanctorum, asserit *Diana loc. cit.*
 nec minori sanctitate coli *Deum*
ipsorum panaceum, ubi sacris
 diebus pompâ vel ad ægrotos
 circumfertur, *Covaruvias* fate-
 tur. Baptisteria per fugis tutelæ
 fuisse, non spernendi Auctores
 fidem faciunt. De Proterio
 Ale-

s. 29.

lib. 2.
 Variar.
 Resolut
 6. 20.

Alexandrinorum Episcopo re-
fert *Evagrius l. 2. c. 8.* ipsum,
quò necem effugeret, ad sacro-
sanctissimum baptisterium se
recepisse: quo in loco & barba-
ris & cunctis ferocibus homini-
bus reverentia quædam incu-
titur. Et *Procopius* de duabus
honestissimæ vitæ matronis re-
fert, eas, quum ad sordidas in-
fimæ plebis hominum nuptias
à sævissima Imperatrice Theo-
dora cogerentur, in D. Sophiæ
Templum confugisse, atque ibi
sacrum occupâsse lavacrum,
fontemque manibus prensâsse.
Verùm, ut idem Author *cap.*
præced. dixerat, ἕτως ἡνίκα ὀργῶν
τὸ γυνάμιον τῆτο, ἕτε ἱερόν ὄχυρόν
ἐγερόν, ἕτε νόμος ἔ ἀπαγόρευσις,
ἕτε πόλεως ἀνιλόλησις, ἐξελέσται τὸν
πῶδραπεπλωκότα ἰκανῆ ἐφαίνετο ἕσα
quum hæc fœmina ita insaniret,
nec Templum, nec Legum Impe-
rium, nec universæ Urbis imploratio

Hist.
Arcan.
c. 17.

cri-

eripere poterat quem ipsa perditum
 iret. Jam denique domum cui-
 que suam pro Asylo esse, ita ut
 ibi nec capi nec inde extrahi
 possit, asserit & probat *Ritters-
 hus. cap. 3. de fur. Asyl.* à quo ta-
 men jure plerarumque gen-
 tium consuetudines discrepare
 quotidiano usu docemur. Sed
 manum de tabula.

CAPUT II.

*Historia Asyloꝝ. Quæ in Euro-
 pa olim fuerint & nunc sint.
 Quæ in Asia. Quæ in Africa.*

NON animus est, præsentis
 Dissertatione omnium A-
 syloꝝ, quæ in Europa, quæ
 in Asia quæque in Africa fue-
 rint, Historiam exequi; sed quæ
 maximè celebrata fuerint
 quum nostrâ memoriâ tum
 apud priscos, eorum breviter
 in hoc caput congerere recen-
 sionem. Inter Europæ provin-
 cias

cias in primo ordine colloco
 Greciam, cujus incolæ ante
 omnes alios dediti sunt relli-
 gionibus. Ibi primæ mihi
 obviæ sunt *Athenæ*, ubi, ut
 paulò supra memoravi, Aram
 Misericordiæ Herculis nepo-
 tes, postquam is fato conces-
 sit, mediâ Urbe posuere, ut
 esset Asylum, unde nemo ab-
 duci posset: nam, quum Eu-
 rystheus Mycenarum Rex, odio
 in avum, nihil non in exitium
 eorum moliretur, quod à viri-
 bus non potuere, à religionis
 opinione præsidium salutis
 quærere coacti sunt. De hac
 Ara sic *Statius* canit:

*Urbe fuit mediâ nulli concessa potentium
 Ara Deum: mitis posuit Clementia
 sedem:*

*Et miseri fecere sacram: sine supplice
 nunquam*

*illa novo: nullâ (alii nulli) damnavit
 vota repulsâ.*

B

Et

12.
 The-
 baid. v.
 481.

Et paulò infra:

*Huc victi bellis patriaq; à sede fugati,
Regnorúmque inopes, scelerúmque er-
rore nocentes*

Conveniunt pacémque rogant &c.

de bell. De eadem etiam *Claudianus*:

Gildon. - - - - - *flentibus Aram*

v. 404. Et proprium miseris Numen statuistis,
Athena.

Meminit hujus Aræ etiam *Pausanias in Atticis*. Et *Lyranus ad Act. XVII.* refert quorundam sententiam; qui existimaverint, Aram Ignoti Dei, cujus ibi mentio, hanc ipsam Misericordiæ aram esse: ignoti verò Dei dici, quòd nulli certo Cælicolæ numini, sed affectui tantum, quibus sæpe divinitatis imitatione & Tempa & Aras statuit Gentilium superstitione, (nam & Virtutis & Pudicitia & Timoris aliarúmque passionum ædes olim fuere) dicata esset. Quamvis alios meminerim non usque adeò in antiqua

qua

qua tempora referre Aræ Igno-
 ti DEI apud Athenienses stru-
 cturam, sed eam Dionysio A-
 reopagitæ auctori tribuere ;
 quū ille scilicet sideribus opera-
 tus ex insolita illa eclipsi, quæ
 Salvatoris nostri mortem fu-
 nestavit, de vero aliquid DEO
 tum primū odorari cepisset.
 Ego in re incerta non interpo-
 nam meas conjecturas, nec in
 alieno foro jus dicam. Puto,
 id ipsum fuisse Asylum, ad quod
 quum confugerent qui Cylo-
 nis in affectanda tyrannide
 consortes fuere, abducti ab A-
 theniensibus & interfecti sunt.
 Quæ non minima Peloponne-
 siacorum bellorum, quæ subin-
 de universam Græciam unâ
 veluti ruinâ involverunt,
 causa fuisse fertur. Et ad-
 dit *Plutarchus*, hos Cylonia-
 norum supplicum violatores
 ἐναγείς ex hoc fuisse vocatos.

Thucyd. l. E.

*in Salo-
ne.*

B 2 Fuit

in The
seo.

Fuit & aliud Athenis Asylum, prope gymnasium, loco quo condita sunt ossa Thesei, à Cimone ex terra barbara reportata: *Φύξιον οἰκέτους καὶ πᾶσι τοῖς Ἰσπεροτέροις καὶ δεδωκόσι κρείττονας*, ut loquitur *Plutarchus*. Celebre Spartæ Asylum fuit. Templum *Minerva Chalcicæ*, in colle Urbis editissimo, quem & Arcem appellabant. Ad id *Pausanias* Spartanorū Dux, quum indicia proditionis ejus & secretorū cum Persis consiliorū ad Ephoros emanassent, confugit: sed, valvis Templi ab Ephoris, adjuvante etiam Patre ejus & matre, obstructis, fame interiit, prout memorant *Æmit. Prob. in ejus vita, Thucyd. lib. 1. Diodor. Sic. lib. 11. Lycurg. Orat. in Leocratem Plutarch. in Parallel. Ælian. lib. 9. Hist. Var. c. 41. Stobæus Serm. 37. Meminit ejus Templi etiam Livius lib. 35. c. 36.*

c. 36. & dicit, *areum fuisse*, fortè
 ex Græco Deæ cognomine con-
 jectando rem nulli Veterum
 memoratam, quorum plerique
 vel à conditoribus Chalciden-
 sibus, vel quòd ærario propin-
 qua esset illa ædes, cognomen-
 tum Deæ derivant, de qua cæ-
 terùm plura vide apud *Gyrald.*
in Syntagm. Deor. Gentil. &
Meurs. Miscell. Lacon. l. 1. c. 3.
 Atque illud est Asylum, quod
 Agidi Regi Lacedæmoniorum
 salutem præbuit, quum Spar-
 tanam Civitatem in antiquos
 mores ritúsque, quibus ab ini-
 tio à Lycurgo condita fuerat,
 quarúmque quamdiu diligens
 fuit, excelsissimè floruit, redi-
 gere vellet; atque ob id iras in
 se Ephororum concitaret &
 tantum non lapidibus obruere-
 tur. *Hebe* quoque *Dea*, quam
 prisca Ganymedem vocârunt.
 Græci multos honores exhi-

Vellej.
Paterc.
l. 6.

B 3 buê.

in
Corin-
thiac.

buêre; unum verò præcipuum, quòd, qui supplices ad illius Templum, quod in arce Phliasiorum est, confugerint, cujusvis criminis impunitatem consequuebantur, ut auctor est *Pausanias*. *D. Sophia* itidem Templum, quod fuit *Constantinopoli*, Asyli religionem celebre fuisse, ex *Procopii* locis, quæ supra allegavimus, clarum est, tum etiam ex *Cantacuzeno Histor. lib. 3. c. 2.* patet; ubi *Sismanum* exulem *Alexandri Regis Mœsorum*, quum à Regiis Legatis repeteretur, consilio *Patriarchæ Constantinopolitani* ejusdem Templi privilegio sese tutatum esse refert. Apud *Tanarios Neptuni* Asylum fuit, ad quod confugit *Argilius*, quum *Pausaniæ* proditorias litteras ad *Persas* ferre deberet, teste *Emilio Probo in vita Pausaniae*. De *Cadmi* Asylo *Thebis* supra

no-

31
nobis sermo fuit. Memorat in
Laconicis Pausanias, Templum
fuisse apud *Tegeatas Aleæ Miner-*
va, antiquâ religione Pelopon-
neso universæ sacrosanctum,
nec violari fas fuisse qui illuc
confugissent, eâmq; religio-
nem in *Pausania Lacedæmonio-*
rum Rege, antè vero in *Leoty-*
chide & Chryside, fuisse ab an-
tiquis conservatam. *Delium*
quoque *Apollinis* Templum
fuit, imminens mari, quinque
millia passuum à *Tanagra*: ubi
& fanum & lucus eâ religione
& eo jure sancta fuere, quo
sunt Tempa, quæ *Asyla Græ-*
ci appellant, ut loquitur *Livius. lib. 35.*
A Græcis, sicut pleraque Rel- c. 51.
ligionû civiliumq; institutorû,
ita etiam *Asyla* statuendi mo-
rem *Latinos* esse mutuatos, in-
ter *Auctores* constat. Sed initio
parcior Græcis in hoc genere
superstitionis *Italia* fuit, ante-
quam

quam Pontificum profusa immunitatum decreta accepit, & sub imagine religionis (efficacissimo ad peccandum prætextu) variorum impunitatem scelerum etiam iusta admisit. Nam antiquitus simplicior & minus religionum anxia Italis quam Grecis pietas fuit, & quæ hi omnia eximia Templis, illi parcius dabant. Unde paucissima inibi Asyla apud Scriptores invenio; & antè omnia illud famâ nobile, quod Romulum habuit conditorem; de quo Augustinus: Romulus & Remus Asylum constituisse perhibentur, quò quisquis confugeret, ab omni noxa liber esset, augere quarentes creanda multitudinem Civitatis. In quem sensum etiam Plutarchus in vita Romuli: ἱερὸν ἢ φύξιμον τοῖς ἀφισταμένοις κατὰ σκιάσαντες, ὃ θεὸς Ἀσυλαίῃς προσηγόρευον, ἐδέχοντο πάντας, ἕτε δὲ αὐτοῖς δῆλον ἕτε δὲ ἦτο

libr. I.
de Civ.
Dei c.
34.

ἕτε

χεῖρας, ἕτ' ἄρχουσιν ἀνδροφόνον ἐκ-
 δίδόντες, ἀλλὰ μαντεύματι πυθοχεῖ-
 σω πᾶσι βεβαῦντι τὴν ἀσυλίαν φάσκον-
 τες *Templum aliquod aperuerunt*
profugis & fugitiuis, quod Dei Asy-
lai appellauerunt, omnesq; recipie-
bant, neq; seruum Dominis, neque
creditoribus nexum, nec Magistra-
tibus dedebant homicidam: verūno
inviolatum locum ex Oraculo Apol-
linis prestare se asserbant. Non diu
mansit loco suus honor; sicut
omnia orta occidunt. Nam,
 ut refert *Dio Cassius*, ἐκείνο τὸ lib. 47.
 χεῖρον ἐνόμαζεν τὴν ἀσυλίαν μὲν τὴν
 τῶν ἀνδρῶν ἀθροῖσιν ἀνεδύτῃ ἔργα αὐ-
 τῆς ἔχεν· ἕτω γὰρ παρεφρέχθη
 ὡς ἐμὴ δέναν ἐπὶ τὸ πῦρ εἰσελθεῖν εἰς
 αὐτὸ δωηθῆναι *is locus Asyli nomine*
sine re post homines collectos habuit:
sic enim obstructus fuit, ut omnino
nullus illuc amplius intrare posset.
 Mentionem insuper ejus fa-
 ciunt *Flor. l. 1. Vellei. Paterc. l. 1.*
Auctor de Vir. Illustr. in Romulo.

*P. Victor. de region. Urb. Roma.
Marlian. lib. 2. Antiq. Rom. c. 4.
Fuit autem inter Arcem & Ca-
pitolium, loco Intermontio
nominato, septo densis senti-
bus. Unde Virgilius:*

*Aneid.
8. vers.
342.* *Hinc lucum ingentem, quem Romulus
acer Asylum
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe
Lupercal.*

*libr. 3.
Fast.* **Et Ovidius:**
*Romulus, ut saxo lucum circumdedit
alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tre-
tus eris.*

*De eodem Strabo lib. 5. μὲν δὲ πλὴν
κλίσην ἀνθρώπων σύγκλυδας ὁ Ῥωμύ-
λῳ ἠθεροῖζεν, ἀποδείξας ἀσυλὸν ἱ-
πέμεν, μετὰ δὲ τῆς ἀκρας καὶ τῆς
καπιτωλίας τῆς δ' ἐκεῖ κατὰ φέρον-
τας τῶν ἀσυλειτόνων πολίτας ἀποφαι-
νων. Urbe verò conditâ Romulus
homines convenas collegit, apertò
Asylo in luco inter Arcem & Ca-
pitolium, & qui eò de vicinis con-
fugissent, Cives allegit. Sed bar-
ba-*

barâ illâ & ex lege ætate scele-
 ratos suppliciorum metus, vel
 naturâ insita mortalibus mu-
 tandarum sedium voluptas, ubi
 melioris fortunæ spes ostendi-
 tur, in surgentem Pastorum
 manu Romam vocaverat. Quæ
 nunc illi loco reverentia ha-
 beatur, quum tanto studio &
 contentione ante omnes alios
 pietatis famam, &, quia ex sua
 Urbe, velut primaria Ecclesiæ
 sede, Religiosum in omnia jus
 dicit & Leges cærimoniarum
 in omnem orbem mittit Ponti-
 fex, etiam Ecclesiasticam præro-
 tivam multâ contentione affe-
 ctat Romanus Populus, audi,
 quæso, ex *Blondo*. Ita ille: *A-*
sylum dicimus omnia occupasse loca, *lib. 2.*
quæ nunc à collapsò Tarpejo saxo *Romæ*
ad S. Mariæ pontem, & hinc Vestæ *Instaur.*
inde Jani Templo in Aventini radi- *p. 58.*
ces à prostitutis mulieribus majori
parte habitari videmus: ut mulie-

vibus prostitutis, à parentibus Viris-
que profugis, alterum nunc Asylum
videatur institutum. Invitus hæc
promo: sed, quia occasio jam
jussit, ut facilius Blondo fides
habeatur, adhuc majora dicen-
tem Josephum Scaligerus audia-
mus. Postquam ille multa de
hodiernæ Romæ moribus cor-
ruptis cecinisset, tandem sub-
jicit:

*Qua penè victa facie prostitutarum
Te prostituta vincis, & tuum facta
Tibi lupanar in tuo lupanari.*

Sed quid tam aliena à proposi-
to attingo, & in eam me ingero
tractationem, quam si ad un-
guem exequi velis, uni omnes
hæ paginæ non sufficerent; nec
operæ pretium fuerit, & tem-
poris non reparanda jactura,
surdus cecinisse? Ad ordinem
nunc revertor. Cui Deo illud
Asylum dedicatum fuerit, se
nescire dicit Dionys. Halicarnas.

libr. 2.

Sant.

scus. Pomponius tamen Letus in
Antiquit. Rom. prop. fin. Væjo-
vis ibi Templum fuisse memo-
rat. Plutarchus θεὸν Ἀσουλᾶιον
fuisse credit, cui sit consecratus
locus. Propius verum est, non
fuisse Templum, sed lucum nul-
li certo dedicatum numini;
quemadmodum lucos ante
Tempora coluisse Gentilium su-
perstitionem, docet Cl. Bernegge-
rus, p. m. quest. 48. ad Germa-
niam Taciti. Et lucum Asyli et-
iam vocat Tacitus, idemque c. Hist. 3.
9. de morib. German. lucos ac ne-
mora Germanos consecrâsse
serbit, Deorumque nominibus
appellasse secretum illud, quod
solâ reverentiâ vident. Paulò
enim ante scripserat, eos, nec co-
hibere parietibus Deos, neque in ul-
lam humanioris speciem assimilare,
ex magnitudine caelestium, fuisse ar-
bitratos. En simplicem Majo-
rum nostrorum pietatem! Am-

plissimus differendi se mihi
 aperiret campus, si quæ in SS.
 Literis de Gentilium lucis, de-
 que Græcorum in Historiis in-
 veniuntur, congerere vellem.
 Sed de his memorandi fortè
 locus erit, si effectis, in quæ
 tendi (cum *Tacito* loquor *Annal.*
 3. 24.) plures ad curas vitam
 produxero. Nunc cæptis
 mihi insistendum. Præter
 hoc Romuli alia etiam *facella*
Roma pro Asyulis culta fuisse, te-
 stis est *Cicero Orat. in Rullum*, ubi
 ait: *Sunt facella, quæ post restitu-*
tam Tribunitiam potestatem nemo
attigit; quæ Majores in Urbe pas-
sim periculi perfugia esse voluerunt.
 Et speciatim id privilegii tribu-
 tum *facello Cesaris*, postquam il-
 le in Divos est relatus, constat
 ex *Dionis Cassii supra citato loco.*
 Nec ulla præterea in Italia Asy-
 la apud Auctores reperio, nisi
 quòd *Schottum in Itinerario Ita-*
lie

lia memoriae tradidisse memine-
 rim, Ferraræ Ducem Herculem
 Estensem *Asylum in Urbe Ferrara*
 statuisse. Cui bono? quum
 omnes jam pridem Ecclesias
 sceleribus Pontificum benigni-
 tas aperuerit. Sed *in Sicilia*
 quoque *Palicorum Deorum Tem-*
 plum Asylum supplicibus qua-
 cunque calamitate oppressis
 fuisse, memorat *Facellus*. Fuit *de rebo*
 autem id Templum ad lacum in- *Sicul.*
 ter Menæum oppidum & ho- *Decad.*
 spitium Guterræ. Hinc *Vir-*
gilius lib. 9. Aeneid.

Eductum Martis luco, Symathia cir-
cum

Flumina, pinguis ubi *implacabilis ara*
Palici.

Diodorus quoque *Siculus* refert, *lib. 11.*
 ejus loci religionem ac numinis *Biblio-*
 reverentiâ perpetuâ Lege san- *thec.*
 citum fuisse, ut servi, quibus in- *prop.*
 tolerabilis sævitia Dominorum *fin.*
 esset, tuti ac inviolati in id Tem-
 plum

plum reciperentur, donec jure-
jurando eis Domini impunita-
tem ibidem essent polliciti.
Quod adeò relligiosè observa-
tum fuisse, ut nunquam à Do-
minis fractam promissi fidem
constet. In Gallia *Nivernensem*
Civitatem Asylum habere, refert
Nic. Boërius Decis. 29. n. 8. Lu-
gduni duo fuisse invenio. Unum
penes *Templum*, ni fallor, *S. Ni-*
sieri. Cujus alterius quidem
portæ inscriptio hæc verba
habet:

VINDEX. ET. ASSERTOR. TUI.

AUDE. ESSE. FELIX.

Alterius verò: HAC. ITUR.
AD. SECURITATEM. Est &
aliud in Templo *S. Johannis Ba-*
pista, teste *Ludov. Bolognino libr.*
de quatuor singularibus in Galliare-
pertis. *Vienna* quoque in *Del-*
phinatu unum esse perhibetur,
loco è lapide structo, quadrâ
formâ, columnis quatuor, qui-
bus

Golniz,
in Itine-
rar. Bel-
gico-
Gall

bus vexilla & insignia Præfecti
 Urbis (Gubernatorem qui bar-
 barè loquuntur dicunt) suspen-
 sa sunt. Anglia licet feracissima
 Asylorum fuerit, nobis tamen,
 quibus brevitati studendum,
 unum aut alterum eorum ret-
 tulisse ad præsentis instituti ra-
 tionem satis erit. Et primò qui-
 dem *Colnamum* celebre in eo Re-
 gno Asylum esse dicitur *Poly-*
doro Vergilio, quod absit ab A-
 byndonia millia circiter passu-
 um duo; ubi qualicumque no-
 xâ contactis per fugium sit, nisi
 qui læsæ Majestatis crimine te-
 nerentur. *Londini* plurima fuis-
 se, *Comineus* Auctor esse potest, *lib. 3.*
 qui refert, bello illo Civili inter *Hist.*
 Henricum & Eduardum Angliæ
 Reges, quod gestum est circa
 Annum Christi 1470. fugato ex
 Anglia Eduardo, nobiliores
 equites peditésque, qui auspi-
 cium ejus secuti fuerant, ad
 duc-

duorum millium numerum, A-
 fyla Urbis Londinensis tenuisse,
 donec, reverso in Regnum E-
 duardo, res ipsius denuò fove-
 re ex tuto poterant. Monasterio
 quoque *S. Martini in Urbe Battel*
 Asyli privilegium indultum
 esse à Rege Wilhelmo Con-
 quæstore memorat *Cambdenus*
in descriptione Britannia, ita ut,
 quo loco Provinciam Suffexiam
 describit, Regii etiam Diploma-
 tis verba in hanc rem exhibeat.
 Idem quoque Auctor in Topo-
 graphia Brigantum sive Duca-
 tus Eboracensis refert, Urbi
Petuarie à Regibus Asyli jus
 fuisse concessum; ubi in Templo
D. Johannis Cathedra è saxo
 posita sit cum hac inscriptione:
 HÆC. SEDES. LAPIDEA. FRED-
 STOOL. DICITUR. (id est *Pacis*
Cathedra) AD. QUAM. REUS.
 FUGIENDO. PERVENIENS.
 OMNIMODAM. HABET. SECU-
 RI-

A. RITATEM. In Ecclesia Cathe-
 drali *Hugustaldensi* fuit Asylum, à
 quo qui quemlibet cujuscun-
 que facinoris aut flagitii reum
 abstraheret, certâ pecuniæ sum-
 mâ luebat noxam, ut refert *Richardus Prior in Historia ejus Ec-
 clesie lib. 2. c. ult.* Haud dispar
 reverentia habita *Burgis S. Al-
 bani* Proto-Martyris Anglorum
 & *S. Eadmundi Regis.* quæ omni-
 bus transfugis tutelam ab ho-
 stium ingruenti vi præbuere,
 prout refert *Matthæus Paris.* *in vita*
 Fuit etiam tutus perfugis rece- *Henrici*
 ptus *in Monasteriolo Beaulieu,* *II. Regis*
 quod in Provincia, quæ appel- *Angliæ*
 latur Hamshire, conditum fer-
 tur à Rege Johanne: unde ho-
 micidas quantumvis scelera-
 tos, & læsæ Majestatis reos
 abripere nefas & piaculum
 nostri quondam existimârunt,
 inquit *Cambdenus lib. sup. cit.*
 Monasterio quoque *Insula Croy-
 landie*

landia Asyli immunitatem Concilio Londinensi permisit *Witthelafius* Rex Merciorum An. Chr. 833. ita ut quisquis reus legibus solveretur, quamdiu intra metas ab eodem Rege præscriptas maneret, velut videre licet apud eos qui in Conciliorum Canonibus corrogandis utilem operam præstitere. Quæ in Germania nostrâ ætate præcipua Asyla supersunt, diligenti comémoratione peregere *Ritterskus. de Fur. Asyl. c. 3. & Knipschildt lib. 2. de Fur. & privileg. Civitat. Imperial. c. 23.* Sunt autem sequentia: 1. libera *Domus Monasterii Adelbergensis* in Civitate *Eslingensi*, vulgò *der Frenhoff* dicta. Quod privilegium huic Civitati Imperatores *Fridericus* Anno 1484. *Maximilianus* Anno 1513. *Carolus V.* Anno 1552. *Ferdinandus* Anno 1559. confirmârunt. 2.

Neo-

Neoburgi in ditione *Würtem-*
bergica. 3. *Oberzheimii* in *Alfa-*
tia; ubi ei, qui homicidium ani-

mi impetu percitus patruerit,
 per centum annos & unum
 diem tuta est habitatio; sicut
 etiam 4. in Monasterio *Creutz-*
lingensi extra mœnia *Constanti-*
ensia. 5. *Augusta Vindellicorum* ad
 D. *Udalrici*. 6. In Monaste-
 rio *Salmansweiler* totaque ejus
 ditione. 7. Ipsam Urbem *Bris-*
goiam *Henricus VI.* Imperator
 Asylum pauperibus condidisse
 dicitur apud *Othonem Frisingen-*
sem. 8. *Omnes Domus Ordinis*

lib. 7. c.
ult.

Teutonici Asyla fecit *Carolus IV.*
 Imp. Anno 1378. 9. *Reutlinga*
 etiam Urbs Asyli privilegium
 antiquitus habet, in quod omni-
 bus ejus territorii, qui homici-
 dium caussale commisissent,
 securum refugium erat. Con-
 firmatum hoc ipsis est à *Maximi-*
liano Imperatore Anno 1495.

Edi-

Dissert.
de Iur.
Majest.
c. 4.

Edicti formula extat quum
apud *Besoldum* tum apud *Knip-
schildt* tractatu quem modò al-
legavi, *lib. 3. c. 46.* 10. In Ho-
spitali Civitatis *Biberasensis*, ut
auctor est *Merianus in Topogra-
phia Suevia.* 11. *Lindavia*, te-
ste *Reusnero lib. 2. de Civitat. Im-
perial. c. 18.* 12. *Fridberga* in
Bavaria. Munster. lib. 3. Cosmogr.
c. 347. Sed finem hic Germa-
niæ Asylorum statuo. Tu quis-
quis plura desideras, adi, si oti-
um est, paulò ante memoratos
mihi Auctores, & præfertim
Rittershusium. Quæ nostra in
Patriâ nostrâque Urbe Asyla
antiquitas statuerit, quum
omnibus obvia sint, & qui re-
rum nostrarum Annales prodi-
dere vel Geographiâ Helvetiæ,
ea diligenter percensuerint, si-
lentionunc transeo. Inter Asiæ
Asyla primus sine dubio locus
Dianæ Ephesiæ Templo debetur:
de

de quo *Plutarchus* memorat, de-
 bitores, qui ad id se receperint, a
 nexu solvi à Dea tutosque à
 creditoribus præstari. *Strabo*
 etiam meminit *lib. 24.* ejusque
 sive *terminos* ex temporum
 conditione variè mutatos scri-
 bit: Alexandrum enim M. ei
 stadium in orbem largitum esse;
 Mithridatem, quantum sagit-
 ta ab angulo tecti emissa con-
 tingeret, quod stadio fuerit
 paulò longius spatium; Anto-
 nium id duplo auxisse, partem
 Urbis simul cum Asylo ample-
 xum. Visum id mali exempli ef-
 se, καὶ σὺν τοῖς κακῆργοῖς ποιεῖν τὴν
 πόλιν. Itaque in totum abro-
 gâsse Augustum Cæsarem. Ad
 id quum M. Aurelii Scauri ser-
 vus confugisset, eumque Domi-
 nus indignè rem passus abstra-
 here inde vellet, à Pericle Ephe-
 sio prohibitus legitur apud *Ci-
 ceronem*. Pro hujus defensione
 Asyli

lib.
 οὐκ ἔστι
 μὴ δέιν
 δαυεί-
 ζεσθ.

Act. 3.
 in Ver-
 rem.

Tacit.
Annal.
3. 61.

lib. 1. de
Civitat.
Dei. c. 4.

Asyli quum in Senatu Romano sub Principatu Tiberii causam egissent Ephesii, ut verboum decore religionem loci in majus vero extollerent, admodum fabulosè multa dixere; sed non ut vulgus crederet, nempe ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Jovis iram vitavisse; mox Liberum Patrem bello victorem supplicibus Amazonum, qua aram insederant, ignovisse: auctam hinc concessu Herculis, cum Lydià poriretur, carimoniam Templo. Sed detur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia religionum augustiora faciat. Fuit etiam in Asia Junonis Asylum Troja; cujus meminit Augustinus, & Virgil. lib. 2. Aeneid. quo loco prisca Commentatores scribunt, ab illo Trojanorum Rege illud esse positum. Ajacis in littore Rhœteo, & Achillis in Sigæo nobilia Asyla me-

memorantur apud *Servium ad Aeneid. 6.* Erat etiam *Daphne*, ad stadia quadraginta ab Antiochia, mediocris habitatio, cæterùm spatiosus locus: in cuius medio fuit fanum & Asylum Apollinis; quod Oniæ Pontifici securitatem præstitisse legitur *2. Maccab. 4.* quo loco quidam sentiunt, Oniam non ipsum delubrum ingressum esse, sed prope illud in tuto confedis-
se. Quæ opinio quàm parùm cum iis quæ proximè sequuntur congruat, καὶ τὸ φλῶ δῆλον. Asyli, quod fuit *Pergami in aede Æsculapii*, meminit *Tacit. Annal. 3. 36.* atque ex *Alexandro Polyhistore* narrat *Gyraldus*, si quis capitalem fraudem ausus aut pecuniâ iudicatus ad illud Templum confugisset, noxâ pecuniâque fuisse solutum. Fuit & aliud *Æsculapii Asylum* apud *Coos*, quod olim salvos præstite-

Strabo lib. 15.

Syntag. Deor. Gentil.

C rat

Tacit.
Annal.
4. 14.

Suidas
in voce
Σαμο-
θεάκης

rat illos Romanos Cives, quos
superstites cædium, quæ jussu
Regis Mithridatis impotenti fu-
rore apud cunctas Asiæ Insulas
& Urbes in Romanos perpe-
trabantur, eodem fuga detu-
lit. Habuere præterea Asyli
jus in Asia, apud *Magne-*
sios Diana Leucophryna, apud
Aphrodisienses Venus, apud *Sira-*
tonicenses Juppiter & Trivia, apud
Hiero-Casarienses Diana Persica,
in Insula *Samo* decreto *Amphi-*
ctyonum Juno, ut prolixius, qui-
bus ea legere volupe est, apud
Tacitum lib 3. Annal. c. 61, 62.
& lib. 4 c. 14. ejusque *Commen-*
tatores invenient. In *Samo-*
thraciam quòque olim confu-
giebant nocentes, quos *Cabiro-*
rum Templi insulæque sanctitas
ab omni imminente vi tutaba-
tur. Ibi *Perseus*, novissimâ à
Romanis debellatus pugnâ,
omnibus deserentibus amicis,
quo-

quorum plerumque ex fortuna
 fides pendet, solus cum maximo
 natu è filijs latitans, ad ultimum
 seque filiumque Octavio Ro-
 manorum Duci tradidit, fru-
 stra, rebus jam comploratis, for-
 tunam Deosque, quorum in
 Templo erant, nullâ ope sup-
 plicem iuvantes, accusans. Hoc-
 que modo finem armis, quibus
 tanto tempore ipse Paterque
 Romanos exercuerant, simul
 inclyto per Europæ plerumque
 atque Asiani omnem Regno fe-
 cit, quod à summo culmine for-
 tunæ ad ultimum finem cen-
 tum quinquaginta annos stete-
 rat, Vicissitudinis humanæ cla-
 rum ad memoriam exemplum.
Liv. lib. 45. c. 6. & 9. Meminit
etiam Strabo lib. 8. Asyli, quod in
Insula Calauria Neptuno dedica-
tum fuerit. In Africa nulla in-
signia reperio Asyla, nisi quòd
Osiridis in Ægypto Templum
 C 2 hâc

hâc relligione gavifum idem
 tradiderit *Strabo*. De *Herculis*
 etiam in *Canopico* littore Templo
 ita refert *Herodotus*: εἰς τὸ ἦν κα-
 ταφυγῶν οἰκέτης ὅτιω ἀνθρώπων ἐπι-
 βάληται σίγματα ἱερὰ, ἑαυτὸν διδὼς
 τῷ θεῷ, ὅτι ἔξει τέτυκ ἀφ' αὐτοῦ ad
 id si quis cujusque hominis servus
 confugiens capiat sacras notas, sese
 Deo tradens, eum nefas est tangere.
 Ad id se receperunt transfugæ
 ab *Alexandro* servi, quum is,
 raptâ è *Sparta* *Helenâ*, retrò in
 Patriam cursum navibus repe-
 teret. Sed, quæcunque ad id
 loci *Afyla* commemoravi, ho-
 minibus tantum præbuere se-
 curitatem. Illud verò mirum,
 &, nisi tot *Auctores* essent,
 penè incredibile dictu, quod
 narrat *Ælianus*, in *Arcadia* lo-
 cum esse, cui nomen *Aule*, de-
 lubrum *Panis*, ad quod quæ-
 cunque animantia evaserint,
 incolumes, velut miserantibus
 Diis,

lib. I.

libr. II.

Histor.

Anim.

c. 6. § 7

Diis, fervari: itaque lupos,
 ubi animalia eo usque fuerint
 persecuti, delubrum tamen
 intrare non audere, quendam
 terrorem incutiente religione
 loci: in Curidio etiam lucum es-
 se, ad quem si lepores, inse-
 quentibus canibus, confuge-
 rint, luci, qui Apollini sacer est,
 reverentiâ protegi, cujus rei
 quam causam referam non ha-
 beo, nisi fortè credideris, bruta
 etiam aliquo sensu religionis,
 indice naturâ, & sacrorum lo-
 corum reverentiâ in speciem
 tangi, sicut multas justitiæ, a-
 moris, castitatis, aliarumque,
 non verarum, virtutum ima-
 gines in iis conspiciamus: aut,
 quod magis ad fidem, incanta-
 menta hæc Diabolica, inluden-
 dis vana superstitione animis
 mortalium, esse dixeris. Sed
 his desino Asylorum recensio-
 nem; quam qui fusioem fortè

desiderârit, me auctore, non
 inutiliter leget *Alexandrum ab*
Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap.
21. & Rittershusium c. 9. de fur.
Asyl.

CAPUT III.

Quid iura circa Asyla sanciverint.

1. *Divinum.* 2. *Canonicum.*

3. *Civilia.*

INter alias, quas Deus immor-
 lis vel circa peragendas sa-
 crorum caeremonias, vel circa
 instituendos mores, vel deniq;
 circa formandam Remp. Popu-
 lo suo Israëlitico Leges dedit,
 non minimi illæ momenti sunt.
 usibusque humanæ vitæ admi-
 nistrandæq; justitiæ admodum
 conducunt, quæ ex Urbibus,
 quas Levitis ex portione terræ
 Chanaan singularum tribuum
 Deus assignaverat, sex receptui
 homicidarum separârunt; qua-
 rum nomina, ut exprimuntur in
 Sa-

Sacris Literis, hæc fuere: cis
 Jordanem Cedes in Galilæa, Si- ^{10f. 20.}
 chem in montibus Ephraim, &
 Chariath-Arbe sive Hebron in
 montibus Juda; trans Jorda-
 nem verò Bosor ex portione
 tribûs Ruben, Ramoth in Gi-
 lead ex tribu Gad, Gaulon ex
 tribu Manasse. De quibus Urbi-
 bus multa scitu digna ex Paulo
 Fagio in Thargum Onkeli col-
 legit *Zepperus* in eruditissimo li-
 bro *de Legibus Forens. Mosaic. lib. 4. c.*
 Quibus non minûs digna inve- ^{14.}
 nias apud *Philonem Judæum lib. de*
special. LL. & ipsum Fagium in
Comment. ad Num. 35. Sed sin-
 gula divini hujus juris capita
 operæ pretium est cognoscere,
 præsertim quæ ad ea, quæ dein-
 cept dicenda sunt, aliquid mo-
 menti fecerint: ac, ut de cri-
 minibus, quibus hæ urbes re-
 fugia fuere, initium faciam, solis
 homicidiis eas patuisse constat.

C4

Sed

Sed non his quæ scelerata manus consilio & dolo perpetraverit; sed quæ præter animi sententiam, nullâ ad id suâ voluntate, invitus quis casu commiserit, sicut exemplis docet Sacer Codex Num. 35. v. 21. & seqq. Deuter. 19. v. 11. & Exod. 21. v. 14. Unde Joabum nihil juvit post interfectos Abnerum & Amasam ad tabernaculum confugientem cornu altaris tenuisse. Nam ex mandato Regis Salomonis in ipso Templo Manibus interfectorum morte suâ litavit. Quo loco magni nominis Theologi, & inter eos Rivetus ad Exod. 21. vitio vertunt Solomoni, quòd ad ipsam sacrosanctam Dei aram, velut præsentì Numine, eam cædem ausus fuerit jubere; eò quòd Deus ab altari suo avellendum indignum supplicem alibi injunxerit; atque ideò tum demum

I. Reg. 2

mum interficiendum, si extra
 locum sacratum constiterit: ne-
 que fas fuisse Regi, qui uno vel
 altero satellite in coactum im-
 misso, facile eum ad se duci cu-
 rare potuisset, nullâ necessitate
 sanguine humano profanare
 Templum: neque illud omit-
 tendum, quod, ubi Christus
 Judæis, velut in ipforum capita
 redundaturam Zachariæ Pro-
 phetæ cædem exprobrat. *Matt.*
23.35. velut aggravandæ culpæ
 addiderit, quòd eum inter Tem-
 plum & altare confecerint. So-
 lomonem tamen omnis crimi-
 nis hoc casu absolvit Rupertus
 Tuitiensis. Ego, re ad Theolo-
 gorum tribunal relegatâ, mea
 judicia non interponam, ne vi-
 dear ἐν ἀδικτείῳ χειρῶν πόδα βίβρω. *1. Reg. II.*
 Sed eâdem cum Joabo viâ salu-
 tem sibi expedierat paulò ante
 Adonias, quum affectati Re-
 gni

2. Reg.
21.

gni incurrisset crimen : inde, proposita impunitatis spe, deseruit altare, mox futurus iterato crimine clarum simul noxæ poenæque exemplum. Et Athalia, nefastæ cædis liberorum Regionum rea, ad Templum confugiens, extracta inde est jussu Jojadæ Sacerdotis & interfecta. Ita frustra semper à Templi sanctitate tutelam quæsiere, quorum ita mens scelere attaminata esset, ut ne ab æquo quidem judice facilem impetrarent veniam; & ex præterito potius errore quàm præsentis habitu supplicum æstimata causa: neque enim iniquorum patronus est DEUS, cujus in Templo majori quàm alibi excellentiâ præsens Majestas erat, sed scelerum vindex. Verùm, quoniam, velut allata.

ta à nobis exempla docent, facile accidere poterat, ut etiam sponte mali Asylorum præsidio ad peccandi licentiam abuterentur, non ita ea loca sancta esse voluit. Summus Legislator, ut nullâ judicium subeundi necessitate tenerentur qui ad ea se recepissent; sed ad causam quoque dicendam, siue jam dolo malo siue ex infortunio facinus aliquod patrassent, inde avelli posse severe sanxit: atque causâ demum per iudices cognitâ, probatâque reorum innocentia, redeundi ad Asylum potestatem fecit. Ubi jam tutus & inviolabilis supplex nihil ulterius periculi timebat, sed in illa refugii Urbe velut hospes versabatur, donec Summi Sacerdotis obitus libertatem ipsi ad suos impune revertendi præstaret, quo vivente si extra illius Urbis mœ-

Num.

35. v.

12.

C. 6.

nia

vers. 19 *vers. 15* *lib. 4. de I. N. & G. juxta discipl. Hebr. c. 2.*

nia à Vindice Sanguinis (ita vocabant Hebrei propinquum hominis occisi, cui vindicare cognati mortem in interfectore ejus, ubicunque obvium haberet, fas erat) deprehenderetur, nihil jam ipsum sua securitas juvabat, sed ab eo sine noxa occidi poterat. Hæ autem urbes receptui non solum filiorum Israël, sed etiam advenarum ac peregrinorum patebant. Præter quas reliqua etiam Levitarum oppida Asylorum privilegia habuisse, ita tamen ut tum demum iis reciperentur confugæ, si id volentibus incolis esset, Rabbinorum fuit sententia, velut ex eorum scriptis probat *Seldenus*, diligentèrque commemorat, quid illi circa Asylorum immunitatem statuerint, & quibus ea reis confugio esse debere senserint. Illud quoque ex sacris Literis constat

constat

constat, Templo Hierosoly-
mitano peculiare securitatis
privilegium in gratiam gentis
Judæorum indulgisse Deme-
trium Regem, ut eum facilius
obedientem haberet. 1. *Mac-*
chab. 10. v. 43. De divina jam
Lege satis; cujus finibus si se
continuissent jura illa, quæ post
Natum Mundi Salvatorem
Pontifices condidere, non tot
millia hominum ad scelera pa-
tranda invitasset scelerum im-
punitas & nimia æquo Legum
indulgentia. Sed adeò maturè
à rectis in vitia, à vitiis in pra-
va, à pravis in præcipitia per-
ventum, ut Seculo iam septimo
Pontifices sacrosanctas Eccle-
sias, propositâ tam largiter fla-
gitiorum licentiâ, latronum spe-
luncas fecerint. Bonifacium
enim V. Papam primum hanc
Tèmplis immunitatem, nè quis
ad eas confugiens, sive is etiam

Vellei.
Patere.
2. 10.

für sic sive homicida, impunè
 extraheretur, dedisse auctores
 sunt *Krantzius in Metrop. l. 2. c. 1.*
Platina, Mariannus Scotus, Balans.
 Verùm *Petrus de Natalibus lib. 2.*
c. 22. Catal. Sanct. in antiquiora
 tempora & Sylvestri I. Pontifi-
 cis ætatem hujus originem Le-
 gis refert; à cujus ego senten-
 tia contra tantorum virorum
 auctoritatem non stare: nec
 temere crediderim, quarto jam
 seculo, quo Sylvester Pontifi-
 catum gessit, exulatum ire jus-
 sâ innocentia, Ecclesiæ præsides
 divinis illusisse Legibus. Id ex
libr. 5. Zosimo constat, centesimo pene
 à Sylvestri temporibus anno
 Christianorum nimiam Tem-
 plorum suorum reverentiam
 cæpisse jam plus justo religio-
 nis iis tribuere. Nam sub Ho-
 norii & Arcadii Imperio re-
 fert, Barbaros, qui Gainis se-
 ctam imperiumque sequeban-
 tur

tur, & prodicione ipsorum pate-
factâ in Templum confugerant,
iussu Imperatoris igne injecto
fuisse peremptos. Mox addit:

ἔδοξε ὡδὲ τὸ σφόδρα χριστιανίζου
μέγα μῦθος ἐν μέσῃ πολυμήδων
τῆ πόλει visum est iis qui valde
Christianissabant, magnum in Ur-
be media piaculum esse commissum.

Itaque Honorii tempore exi-
mia pietas habebatur scelesto-
rum hominum sanguine Sa-
eras ædes non commaculâ-
lâsse: postquam sequenti-
bus temporibus scriptæ Papa-
rum Leges omnibus reis perfu-
gium ad Ecclesias concessere,
ut que pacis, vitæ, membrorum
eorum tutores essent Templo-
rum Præsides (ita loquitur *Gra-*
tianus) donec legitimè compo-
suerint quod inique fecerunt,
graviter sanxere, etiam necessi-
tas fuit: & excommunicationis
destinata pœna in eos qui con-
tra-

Caus. 7.

q. 4. c.

Reum.

c. Frat.

q. c. si

quis con-

tumax,

itemque

Caus.

17. q. 4.

c. Reum

ad Eccle-

siam.

tra fecissent, talésque ab Ecclesiis avellere in animum induxissent, nisi prius jurejurando firmâssent (adeo Divini etiam Numinis interposuere fidem, ut securius peccaretur,) nullis se Legibus interrogaturos reum nec in jus vocaturos. Tunc enim invitus quoque supplex reverti ad sua, & si servus esset, pristinam subire conditionem tenebatur. *Caus. 7. quest. 4. c. id constituimus.* Sed qualia crimina ab hac Ecclesiarum immunitate exceperit Jus Canonicum, nunc videamus. Eâ autem non gavisos esse primum, qui consilio & pravo odio cædem ausi essent, prolixè probat Covarruvias. Quamvis enim *Caus. 23. q. 5. c. reos sanguinis expressis verbis constituatur, etiam reos sanguinis sive homicidas defendere Ecclesiam: ipsa tamen ibidem Lex accuratiùs legenti sui*

*Tom. 2.
Variar.
Resol. 1.
2. c. 0. 2*

sui interpretis est. Defendere
 dicit à vi privata, non à publi-
 cæ Potestatis ira; à manu vin-
 dicis, non à Legum imperio.
 Deinde Ecclesiarum tutela non
 admittebat fures nocturnos,
 publicos latrones, nefandorum
 & occultorum homicidiorum
 ministros, quos Affassinos
 Ictorum Schola vocat, ipsâ fi-
 duciâ immunitatis peccantes,
 alióque gravissimis criminibus
 contactos. De virginum raptu-
 ribus communis penè Canoni-
 starum sententia est, nec eos
 quidem sine crimine ab Ecclesijs
 posse avelli, si in raptum con-
 senserit virgo, velut hunc
 Canonem explicant *Harprechtus*
 & *Decianus* apud *Rnipschildt*
lib. 2. c. 28. de Furib. & privileg.
Civit. Imperial. Atque hæc pu-
 blicâ Constitutione firmavit
 Gregorius XIV. Papa Anno *Bullar.*
 1591. quam pro filo Ariadnæo *Rom.*
Tom. 2.
 ha- *p. 707.*

habent Juris Pontificii consulti. Decentiùs cum Romana Ecclesia ageretur, si hic constitisset illa flagitiorum prona indulgentia, nec atrocissima scelera, si Templis se tuerentur, à poenarum rigore excepisset illorum effræna licentia, qui, dum Pontificum Canones Commentario illustrare sibi sumpserunt, in deterius eos corruerunt; & profligato semel pudore, illis etiam flagitiis, quæ ne dixerit quidem pura mens, apud ipsa Tempia, quasi à præsentis Numine, patrocinium petere non duxerunt religioni. Quid enim aliud facit quàm gravissimorum criminum noxam subit, qui ea jubet, neque erubescit Ecclesiarum religionem protegere qui è manibus licetorum vi eluctati fuerint, qui effracto carcere in libertatem semetipsi asseruerint, qui juratâ
 de

de reditu fide eam eluserint, qui prope Ecclesiam sub spe confugiendi ad eam aliquid deliquerint, ne Hereticis quidem interdicto aditu, si ob alia quam hæresin crimina securitatem quærant. At tales impudentes scelerum buccinæ & publicæ quietis hostes fuere *Diana & Azorius* Jesuita. Ille, dum *Resolut. Moral. Part. I. Tract. I. Part. 4. Tract. I. & Part. 6. Tract. I.* adeo audacem pessimi cujusque facinoris patronum agit, ut mirum sit, etiam qui rerum temporumque prudentissimi haberi volunt, probare, laudare, commendare vanissimi ingenii scelestum partum. Hic, quum liberalem se indulgentiarum Magistrum præstitisset, & Judæos, Paganos, Hæreticos, quocunque denique flagitio contaminatos homines, ut ille quondam Romanus servos ad
 pi.

pileum, ita ad Tempia vocasset, solos eos inde exclusit, quos tempore belli huc confugere atque velut è castris in hostes pugnare necessitas subegit. Tanta Templis reverentia est! Facile recipiunt quos scelerata mens in omne flagitiorum genus impulit, & qui ideò peccant, quia proposita impunitatis spes liberos à poenarum metu præstat: sed quos sua fortuna, nulla alio contactos flagitio, in periculosam aliquam Reip. tempestatem reservavit, his etiam justæ sui defensionis denegant facultatem, adeoque honestissimam expediendæ salutis rationem: ac tollunt Legem illam non scriptam, sed natam: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti

*Cic. O-
rat. pro
Milone.*

stituti, sed imbuti sumus. Illud quantum à pietate absit, alii sunt iudices. Nec cum ipso Jure Canonico satis bene congruunt. Dicitur enim *c. ult. Extr. de Immunit. Eccles.* non debere immunitatis privilegio gaudere eum, qui se eo indignum fecit. Sed illis Canonistarum decretis non amplius stari in plerisque Orbis partibus quotidiano usu docemur. De ducatu Mediolanensi & Hispania id probat *Rittershus. de Jur. Asyl. c. 8.* Quantum ab iis declinaverint Regum Galliae Rescripta, paulò post dicemus. Nonnulli etiam nostrâ ætate Pontificiorum sacris imbuti homines iis contradicere non dubitarunt. *Masius* certè, quum graviter & valde prudenter multa in Asylorum abusus scripsisset, ad eò boni publici studio proprias sibi similitates irritavit, ut hæreseos etiam ab

Adver-

Com-
ment. in
IOSEPH.

Adversariis argueretur: à quo crimine quum eum vindicaret Serarius, tamen parùm cautè nonnulla dixisse ex scelerum odio & justitiæ Zelo, ipse existimabat, licèt agnosceret, operæ pretium fore, si aliquantum istæ Templorum immunitates circumciderentur, quum parùm ex dignitate Ecclesiarum sit defendere sceleratos & religionibus Numinis inferere patrociniū flagitiorum. Quod etiam fatentur *Gregorius Tolosanus & Abulensis in cap. 20. Josue,* citante *Riveto ad Exod. c. 21.* Pontificios ad firmandas has immunitates locorum sacrorum, ut in plerisque aliis, non deficient sua miracula, quæ vel in his edita sint, qui ad ea se receperunt, vel in iis, qui supplices inde extrahere ausi fuerint. Unum refert *Hospinianus libr. de orig. Templ. c. de Asyloꝝ origine*

in fin. Aliud etiam extat' apud
Procopium de Photio, à Theo-
 dora Imperatrice in teterrimum
 carcerem coniecto: ex quo
 postquam elapsus in Templum
 D. Sophiae se receperit, à Zacha-
 ria Propheta per quietem de
 fuga admonitum, ac cedere
 tempori & fortunæ jussum es-
 se: mox eum spectro fretum
 fallentem custodes evasisse,
 multosque latentem persecu-
 tores tandem pervenisse Hiero-
 solymam. Fides sit penes Au-
 ctiores. Juris Canonici partem
 faciunt Conciliorum decreta,
 quorum si verba in medium hic
 proferemus, clarum fiet, quan-
 tum & illa Ecclesiis reverentiæ
 habuerint. *Arausionense l. c. 5.*
ita sanxit, eos, qui ad Ecclesiam con-
fugient, tradi non oportere; sed
loci reverentiâ & intercessione de-
fendi. Aurelianense IV. cap. 21.
 excommunicationis etiam mi-
 nas

in a-
νεκρότο
c. 3.

nas intētat iis, qui vim in sup-
 plices Templorum paraverint.
Toletanum XII. c. 10. usque ad
 triginta ab Ecclesia passus hanc
 immunitatem extendit. Sed
 ne hoc facile modo jus obtere-
 retur, Leges calcarentur, &
 spes cuique impunitatis pec-
 candi causa esset, Concilium
Moguntinum, celebratum An-
 no 813. salutari Constitutione
 prævenit. Postquam enim c.
 39. sanxisset, ne reus ad Eccle-
 siam confugiens inde abstrahe-
 retur, mox subjicit: *tamen legiti-
 me componat quod inique fecit,*
Coyacensis in Hispania habiti An-
 no 1050. hic Canon est: *duo-
 decimo quoque titulo præcepimus,*
ut, si quilibet homo pro qualicunque
culpa ad Ecclesiam confugerit, non
sit ausus aliquis eum violenter inde
abstrahere: sed sublato mortis pe-
riculo & corporis deturpatione, fa-
ciat quod Lex Gothica jubet. Qui
ali-

aliter fecerit, anathema sit, & solvat Episcopo mille solidos purissimi argenti. Quibus non dissimilia præcepit Concilii Rheimensis, celebrati Anno 1148. Canon 14. Hæc etiam consona Sanctorum Patrum definitione sancimus, ut ad eos, qui ad Ecclesiam vel Cœmeterium confugerint, nullus manus mittere audeat. Quod qui fecerit, Anathema sit. Cui etiam consentiunt cætera antiqua Gallia Concilia, ut videri potest apud Bochellum, qui eorum decreta diligenter vestigavit. Quantum Ecclesiarum immunitatibus tribuerint SS. Patres, in vectiva illa Chrysostomi in Eutropium oratio, de qua paulò post dicam, documento esse potest. Et quàm vehementer Bonifacium Comitem, qui Africam regebat, Augustinus (vel si quis alius Author illius Epistolæ est) increpat. *epist. 187.*

D eique

*Decret.
Eccles.
Gall. l. 4
tit. 19.*

eique communione interdicit, quòd quendam de Ecclesia rapuerit, quem tamen morte dignissimum fuisse Bonifacius *epist. seq.* perhibet. In Ecclesiam tamen restituit, Sanctissimi Viri autoritate motus. Verùm si quod simile vero est dicendum sit, illa epistola non videtur esse Augustini, ob rationes allatas & citatos Authores à *Rittershus. c. 10. de fur. Asyl. in fin.* Romani Imperatores Pontificibus in largiendis imunitatibus æquiores fuere, claro testimonio ex *Novella Justiniani de Mandat. Princip.* ubi hæc habentur plena pietatis verba: *neque homicidas, neque adulteros, neque virginum raptores juvare Ecclesiarum securitatem: scd etiam inde extrahi debere, & supplicium iis inferri: non enim talia delinquentibus parci æquum esse, sed hoc patientibus. Templorum*

rum cautelam non nocentibus, sed
 laesis dari à Lege. Quibus non
 disparia dicit *l. unic. ff. de his qui
 ad stat. confug. Tit. 12. C. de his qui
 ad Eccl. confug. indulgentior pau-
 lō est in transfugas ad Asyla, &
 si expressa Legis verba, non in-
 terpretum explicationes, at-
 tendas, solos servos armatos &
 Judæos hujus immunitatis ex-
 pertes facit. Salmuth in doctis-
 simis suis *Annotationibus ad Pan-
 ciroll. Rer. Memorab. part 1. tit. 32*
 ex reliquorum etiam Jurispru-
 dentum sententia, quicquid in
 Legibus Romanis discrepans
 est quoad hanc materiem, ita
 conciliat: Qui ad Asyla confu-
 giunt, aut servi sunt, aut libe-
 ri. Si servi, tum vel ob suam,
 vel ob Domini culpam præsi-
 dium in iis quærunt. Si ob
 suam, & crimen illud gravius
 fuerit, tum extrahendi sunt &
 Domino simpliciter reddendi.
*l. si servus C. dict. tit. sin levius,**

D 2 non

non aliter in pristinam conditionem reverti coguntur, quam Pontificis operâ reconciliata ipsis Dominorum gratia fuerit, fidesque jurejurando facta, eam fugam ipsis fraudi non fore *l. 6. §. fin. C. eod.* Quòd si vim injustam Dominorum declinantes ad Tempia fugerint, tantum abest, ut eos reddi illis Lex jubeat, ut cogantur etiam Domini, siquidem rem ita se habere compertum fuerit, bonis conditionibus servos vendere *l. 2. ff. de his qui sunt sui vel al. jur.* In liberis hominibus iterum levia, qualia æs alienum, à gravioribus delictis sunt distinguenda. Ob priora nemo avelli ab Asylis citra læsæ Majestatis crimen poterat *l. 2. C. d. r.* sic tamen ut cavere quis teneretur, purgandi sui causâ damnique, si quod datum esset, reparandi, in iudicium se affore. Sponte verò

verò & malitiosè delinquentibus, ut ex iis quæ paulò ante memoravi constat, nullum ex Asylis subsidium Leges Civiles concessere. Quoniam de pœna eorum, qui vim supplicibus intentaverint, tempus admonuit, locum & occasionem nacti sumus, uno exemplo ostendendi, quod alii pluribus & prolixè fecerunt, quàm in plerisque non sibi constet jus Civile, & certantium Legum contradictionibus confusum incertumq; relinquat sui Lectorem, utrà in partem inclinare debeat animum. Majestatis crimine teneri, qui profugos ad Tempora violaverit, jam modò nos docuit *lex 2. C. de his qui ad Eccles. confug.* At talis convictos noxæ capitali affici pœnâ Leges juebant. Ita, qui proprio facto supplicem de Templo detraxerit, plectebatur: sed in eo jam

D 3

di-

discrepant Leges , quòd aliæ quidem eos , qui solâ cogitatione vel tractatu (ita loquitur *l. 6. in princ. C. eod.*) id facere tenterint , ad ultimum etiam supplicium condemnent , aliæ verò verberatum & tonsum in Insulam deportari jubeant , qui confugientem ad Sanctam Ecclesiam suâ auctoritate , putâ jubendo vel consentiendo , vi inde extraxerit. Ita statuitur *l. 2. C. de crim. sacrileg.* Ita una Lex severiùs castigat cogitatam vim quàm altera jussam. Quæ quomodo inter se conveniant , æquus judicabit Lector. Illud non omittendum , illam de confugientibus ad Ecclesias Constitutionem Arcadium & Honorium Imperatores Eutropii Ennuchi consilio , latâ in contrarium Lege , sustulisse , ægrè id ferente D. Chrysofomo , atque etiam , quum Eutropius ipse

ipſe non multò poſt ab ira Prin-
cipis altaris ſe præſidio tutare-
tur, publicè ob id eum incre-
pante, veluti commemorat
Ottbo Frifing. lib. 4. Chronic. c. 19.
& *Zofim. lib. 5. Hiſt.* Quibus
Nicephorus libr. 13. Hiſtor. Eccleſ.
c. 4. id addit; Legem illam poſt
mortem Eutropii è publicis mo-
numentis ſublata, noménque
ejus è Faſtis deletum eſſe. In
Gallia Regum pietas, ut quiſq;
temporibus Chriſti propior
fuit, ita ſuperſtitionum profu-
ſior erat. Nam extat inter
Decreta Clotharii Regis apud
Goldaſtum hoc etiam: *nullus larro-*
nem, vel quemlibet culpabilem, ſic-
ut ſummis Episcopis convenit, de
atrio Eccleſiæ trahere præſumat.
Poſt hujus verò ætatem mode-
ſtior fuit apud Reges Templo-
rum cultus. Commemoratur
enim *Aventinus*, Carolum M.
Legem tuliffe, *ut fures, homi-*
D 4 *cide,*

Tom. 3.
Conſtit.
Imper.

Annal.
Boj. l. 4.

cide, & hujusmodi crimina committentes, si ad Asylum Templumve fugâ elapsi forent, repeterentur atque viderentur. Quòd si quis Monachorum, Pontifexve Praefectusve, illos reddere recusaret, satisficeret damni infecti compensandi-que, prestaret, promitteret: Si verò quisquam reus fugâ se ex Templo proripuisset, id non suâ operâ esse factum juraret. Quæ Constitutio etiam, sed aliis verbis, apud Goldastum habetur, in Capitulari Caroli M. de Anno 778. Et Francisci I. Edictum, quod promulgavit Anno 1539. artic. 166. expressis verbis creditores aliorumq; criminum Civilium reos ab Ecclesiarum immunitatibus excludit: qui verò ad eas confugerint, si causâ à Judice probatâ digni poenâ viderentur, vi inde educi jubet. Maximilianus quoque Imperator in supra allegata Confirmatione Privilegii

Tom.
cod.

gii Civitaris Reutlingensis clarè
 Asyli aditu interdicit homicidis
 voluntariis : Jus verò Saxoni-
 cum (quod Civili in præsentì
 quidem tractatione ex annuissim
 convenit) iis etiam, qui in ipsis
 Asyis aliquid mali commise-
 rint. Hæc enim sunt verba *arti-*
culi c. lib 2. Wer den friden bricht *Ritters-*
in gebunden tagen/ den beschirmen *hus. de*
die gebunden tage nicht: Also thut *Iur. A-*
auch die Kirche noch der Kirchhof *ph. c. 6^r*
an der that dem / der darinn was
übelß thut. Angliæ Reges anti-
qui juxta Gallis nimis obnoxia
Pontificum placitis Decreta fe-
cere. Inter Leges enim, quas
à Wilhelmo Conquæstore Re-
gelatas in lucem dedit Seldenus,
quasque profert etiam Henr. de
Knighton lib. 2. de eventibus An-
glia c. 4. una habetur, quæ scri-
pturæ genere facile antiquita-
tem & sui seculi barbariem pro-
dit, his expressa verbis: Scili-

D 5 cer

cet pax Sancta Ecclesia. Cujus-
 cunque foris factura quis reus sit hoc
 tempore, & venire potest ad San-
 ctam Ecclesiam, pacem habeat vi-
 tae & membrorum. Et si quis inje-
 cerit manum in id, quod Mater
 Ecclesia postulaverit, sive sit Ab-
 batia sive Ecclesia Religionis, red-
 dat id quod abstulerit, & centum
 solidos nomine foris factura luat.
 Post ejus tamen tempora Henri-
 cus II. (verba sunt Knigthonii libr.
 cit. c. 10) bene & prudenter regu-
 lavit Populum suum cum recta ju-
 stitia, & gravem & celerem vin-
 dictam de latronibus & furibus &
 raptoribus admodum exercuit.
 Ejus enim tempore nullus latro ne-
 que raptor, homicida, vel qualis-
 cunque sceleratus, gaudere potuit
 privilegio immunitatis Sacrae Eccle-
 siae, neque Clericus nec Sacerdos,
 quin eos ab Ecclesia eriperet & judi-
 cio Regni a stare cogeret, secundum
 eorum delicti quantitatem punien-
 dos

dos, nullam ferens Sanctæ Eccle-
 siæ in hac parte reverentiam: Il-
 liusque Regis instituta secutum *lib. 26.*
 esse etiam Henricum VII. *Poly-Histor.*
dorus Vergilius auctor est. Qui *Angliæ.*
 fusio rem hujus capituli ἐξήγησιν
 desideraverit, legat *Hottoman-*
num in §. 3. verb. ad eadem sacram.
Inst. de his qui sunt sui vel al. jur. &
Henr. Stephanum in font. & rivis
Jur. Civil. tit. de homicidarum A-
sylis seu profugis.

CAPUT IV.

Ἐπίκευσις *Politica de Asylis. Da-*
mnatur eorum abusus. Qui-
bus casibus ea permitti vel in-
stitui possint. Regule qua-
dam circa Asylorum immu-
nitatem.

SEd nunc ad ea, quæ initio
 maximè scribere constitue-
 ram, animum stylumque con-
 verso ; **judicium nempe Poli-**
D 6 ticum

ticum de his quæ ad hunc lo-
 cum vel ex Historiis vel ex
 divini humanique juris fonti-
 bus commemorata à me sunt,
 sive quando quibûsque casi-
 bus recta ratio Asyla statui
 vel tolerari permittat. Equi-
 dem in utramque partem pec-
 catum cernimus ; & crebra
 nimis condendo Asyla, eaque
 in tutelam cujuscunque son-
 tis ; & propter aliquos inre-
 pentes abusus abrogando om-
 nia. Hoc Tiberiani Principa-
 tus vitium fuit, qui, si *Suetonio*
 fides est, jus Asylorum undi-
 que abolevit. Malo exem-
 plo ! Imperatorem, qui, statuis
 Principum, ut supra ostendi-
 mus, tantum honorum tri-
 buit, uno nunc ictu priscae
 sanctitatis per Asiam Templis
 sua auferre privilegia. Sed
 mitior hujus rei est apud *Ta-*
citum narratio. Ad modestio-
 rem

in Tibe-
rio c. 37.

Annal.
3. 60.

rem modum formata à Tibe-
 rio Asyla dicit, non sublata
 penitus. Increbuit enim sub
 ejus Imperio Græcas per Urbes
 licentia atque impunitas Asyla
 statuendi: completa fuere Tem-
 pla pessimis servitiorum: eo-
 dem subsidio obæratî adversum
 creditores, suspectique capita-
 lium criminum receptati: nec
 ullum satis validum Imperium
 fuit coërcendis seditionibus
 Populi, flagitia hominum ut
 cæremonias Deum protegen-
 tis. Ob id Romam missi Le-
 gati; cognitisque causis facta
 Senatusconsulta, quis multo
 cum honore, modus tamen
 præscribatur, jussique illi
 Græcorum Populi ipsis in Tem-
 plis figere æra, sacrandam ad
 memoriam, neu specie religio-
 nis in ambitionem delaberentur.
 Et sanè remedia adhibuisse
 crescenti serpentique quotidie

malo optimum consilium &
 propè necessitas fuit. In quem
 enim modum excefferit scele-
 rum impunitas ex hac Asylo-
 rum licentia, sub nomine quon-
 dam *Euphormionis* ad Carolum
 Emmanuëlem Principem Allo-
 brogum, his eximiæ gravitatis
 verbis scripsit *Barclajus*: *Ve-*
tustas Asylo- rum, Princeps Poten-
tissime, magis tutam improbitatem
prestabat, quàm iustis solatiis ex-
plicabat humanitatem. In iis ipsi
Dii scelerum custodiam agebant,
ad audaciam novorum facinorum
& infamiam Cœli. Nec miramur,
adulteros, fures Deos tutelas flagi-
tiorum esse factos. Sed innocentibus
viris pudenda incolumitas vide-
tur, ad alias profugere aras,
quàm quibus nec insidere impro-
bitas, nec innocentia potest arce-
ri. Hæc homo Christianus.
Sed Gentilibus quoque nimia
hæc impunitas visa. Ovidius,
ubi

ubi de Persei Phineique pugna
loquitur, ita ait:

- - - Indignum! scelerato
profuit ara.

idemque lib. 2. de Ponto eleg. 2.

Confugit interdum Templi violator
ad aram,

Nec petere offensi Numinis horret
opem.

Polydorus Vergilius etiam in sui
seculi Asylis temperamentum
desiderat, quum ita scribit:

lib. 3. de
Invent.
Rer. c.
12.

Sunt hodie in orbe Christiano, praesertim apud Anglos, passim Asy-
la, quae non modo insidias timentibus, sed quibusvis fontibus, etiam
Majestatis reis, patent: quod facit ut manifestè appareat, nos id
institutum non à Mose, qui illis duntaxat, qui nolentes hominem occi-
dissent, Asylum posuit; sed à Ro-
mulo, esse mutuatos. Quae nempe res haud dubiè in causa est, cur
multi à maleficiis minùs abstineant
manus. De illo Romuli Asylo

lo.

Satyr. 8. prop. fin. loquitur Polydorus, quod *Fu-*
venalis etiam, homo licet *Ethni-*
cus & Romanus, *infame* voca-
 vit; & qualem hominum collu-
 vionem admiserit, severâ cen-
 surâ notat *Augustinus l. 1. de conf.*
Evang. c. 10. Neque enim, quan-
 do *Asylum* inquit, constituerunt
Remus & Romulus, ut quislibet
 cujuslibet sceleris reus eò confugisset,
 inultum haberet commissum, præce-
 pto pœnitentiæ dederunt ad sanandas
 miserorum animas: ac non potius
 collectam timentium manum contra
 suas Civitates, quarum leges time-
 bant, mercede impunitatis armâ-
 runt. Has velut oraculo missas
 voces, Canonistæ, diligentes
 scelerum patroni, in pectora
 animosque vestros demittite:
 vel, si hoc adhuc auctore pa-
 rum movemini, adite, quæso,
Lactantium, non minus aspera
 in Romuli *Asylum* loquentem
lib. 2. c. 7. Sed hi propterea da-
 mnârunt

mnârunt veterum Asyla, quòd
 aliquod in iis vitii usus, vel po-
 tiùs abusus, evidenter argue-
 ret, & promiscuâ Templorum
 indulgentiâ turbarentur relli-
 giones, flagitia impunita essent,
 adeòque dissolveretur arctissi-
 mû Civilis societatis vinculum,
 poenarum metus. Quod si ex
 formula Juris divini compone-
 rentur Asyla, & in aliquem to-
 lerabilem modum numerumq;
 redigerentur, & miseris, non
 malis, aperirentur, constanter
 assero, ea etiam hodie licitè,
 honestè, utiliter vel abolita re-
 duci, vel nova institui. Neque
 hîc silentio transeundum, quòd
 non, ut cœteras Leges, ita
 hanc de Asylis quoque semel
 iterùmve injunxisse satis ha-
 buerit divinus *νομοθέτης*; sed
 tērque quatērque repetitam
 de optima nobis nota commen-
 daverit: nullâ aliâ causâ, nisi
 quòd

Exod.

21.

Num.

35.

Deut. 4.

Ex. 19.

Ios. 20.

quòd omnisciâ suâ providentiâ prospiceret, nisi certa infelicibus loca réfugio paterent, facile etiam, nullo suo ad id consilio, peccantes suppliciorum tamen periculum incurrere posse, & quum extra noxam fuissent, pœnarum tamen sæpe non immunes præstari ob recentem læsi dolorem & affectibus præoccupatum Judicis animum. Inter Christianos certè Asylorum usum probat & extollit *Augustinus*, ubi de Roma suo tempore à Barbaris capta sic loquitur: *quòd inusitatâ rerum facie immanitas Barbarâ tam mitis apparuit, ut amplissima Basilica, implenda Populo, cui parceretur, eligerentur & decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur; quo liberandi multi à miserantibus hostibus abducerentur, hoc Christiani nomini, hoc Christiano tempori tribuendum, quisquis non videt, cœcus;*

*lib. 1. de
Civit.
Dei c. 7.*

tollit Augustinus, ubi de Roma suo tempore à Barbaris capta sic loquitur: quòd inusitatâ rerum facie immanitas Barbarâ tam mitis apparuit, ut amplissima Basilica, implenda Populo, cui parceretur, eligerentur & decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur; quo liberandi multi à miserantibus hostibus abducerentur, hoc Christiani nomini, hoc Christiano tempori tribuendum, quisquis non videt, cœcus;

cus; quisquis videt, nec laudat, in-
gratus; quisquis laudanti relucta-
tur, insanus est. Valeant nunc,
 qui nulla in bene constituta Ci-
 vitate ferenda Asyla clamant.
 Equidem ego, si quæ ex antiquo
 habeantur, tolerari; quorum
 ob vetustatem dubium jus, con-
 firmari; ubi nulla omnino sunt,
 nova institui debere, iterum af-
 firmo: quia, ut modò dixi, in-
 gens innocentiae præsidium est,
 habere locum quò se condant, ne
 à primo læsi furore corripere-
 tur; darique tempus Judicium
 iræ, quo mitigetur: æquiores
 enim in offensum quàm in of-
 fendentem esse solent. Jam
 quotiens tempore belli multa
 miserorum millia à Martis sævi-
 tia protexit Asylorum sanctitas?
 Una Roma ab Alarico Gotho-
 rum Rege capta in id satis am-
 plum documentum est. Ne id
 nunc dicam, quorundam vio-
 lentâ

lentâ libidine periclitantem matronarum castitatem apud Sacrosanctas Ecclesias ab ingruente vi fuisse tutam, quum arceret effrenem impudicitiam à Templi aditu præstringens animum quædam religionis opinio, & ex duplicata noxa inexorabilis Judicis metus. Ipse D. Basilius M. quandam foeminam, cui vis parabatur à Præfecto Valentis Imperatoris, in Ecclesiam confugientem jure Asyli protexit, ut *Nazianzenus* refert in *Orat. funebri*, quam dixit Basilio. Et ex ipso Jure Civili servo, qui ad stuprum à Domino compellitur, confugium ad statuum Principis est. Atque hæc prima licita in Asylum se recipiendi causa. Neque enim ambiguum habeo, quamvis in Veteri Testamento solis homicidis, qui casu homicidium fecerint, receptus ad Urbes refugii fuerit

*l. 2 ff.
de his
qui sunt
sui vel
al. iur.*

fuerit permissus, potestatem tamen Civilem ad alia etiam crimina, unde consilium peccandi abfuerit, eam libertatem posse extendere, frustrâ se hîc opponente *Kekermanno*, nec ququam ad Asylum admittente, nisi qui cædem non voluntariam patrâset. Quoniam occasio hortatur de variis homicidii generibus, quantum ad propositi mei rationem pertinet, paulò altiùs repetam. Triplici modo cædes committitur. Primò quidem sponte, deliberatò & voluntate nocendi; idque vel dolo malo, vel necessitate &, ut *JCTi* loquuntur, cum moderate inculpatae tutelæ; vel denique à ministro summæ potestatis in pœnam noxiorum. Primus casus semper in vitio positus est; posteriores duo non æquè. Deinde perpetratur homicidium, consilio quidem, sed diverso

System.
Pol. l. I.
c. 17.

diverso ab effectu quem producit, nec ullâ nocendi intentione: velut si ægrotum Medicina confecerit, quam Medicus sanandi gratiâ adhibuit: idque sine crimine fit: vel cùm quis in media turba lapidem sublatum in altum projecit, cujus casu homo occisus est: quod factum non omni culpâ vacat, nec casuale homicidium id dicendum, quum non habeat omnia requisita, quæ ad tale constituendum necessaria sunt, ut mox dicemus: & arbitrariâ pœnâ, putâ relegatione, ex Jure Civili punitur. Ultimum homicidii genus est, quod nec sponte nec consilio comittitur: qualia JCTi fato, non noxæ tribuunt: & Spiritus S. illum, qui ita perit, in manum perimentis à Deo in percussum destinatæ traditū dicit. Atq; hoc genus ἀτύχημα, medium ἀμάρτημα, primū ἀδίκη-

ma Græcis nominibus non ine-
 pte dixeris. Jam quos ex his
 homicidis Asylorum relligio te-
 gat, nobis dicendum. Et de
 postremo quidem genere nul-
 lum jam dubium est, quum ob
 tales ipse Deus Urbes refugii
 instituerit: & à quo facto con- *Livius*
 filium abfuerit, culpa, adeoque *lib. 1. c.*
 etiam poena, absit: mens enim *58.*
 peccat, non corpus. Sed ut
 casu commissum aliquod homi-
 cidium dicatur, hæc quatuor
 requiruntur: 1. ut qui id per-
 petrat, liberum habeat ab ira,
 odio, invidia & vindictæ studio
 animum. 2. ut sit intra termi-
 nos suæ vocationis. 3. Ut det
 operam rei licitæ, & quantum
 fieri potest cautè, prudenter &
 circumspectè agat. 4. Ne sit in
 loco insolito, periculoso vel
 prohibito. Hæc si omnia ad-
 sint, & tamen cædem quis pa-
 traverit, omnis culpæ exsors &
 dignus

*Knip-
schildt
lib. 3. de
Iur. &
privil.
Civit.
Imper.
c. 44.*

dignus Asyli supplex habetur. Sed an etiam is, qui abreptus iracundiæ fervore, nec jam amplius suæ potestatis, interfecerit alterum? Juris Civilis interpretes homicidia talia inter casualia censere non dubitant; quia nullo prævio consilio & deliberatione committantur; adeoque extraordinariâ poenâ, non capitali, plectenda communiter sentiunt. Et extat apud Goldastum *Constitut. Imperial. Tom. 3. Lex Theodorici Regis*, quâ, qui incitatus impetu iracundiæ alterum occiderit, abripi ex Templo jubetur, & in Vulcaniam Insulam relegatur. Quæ poena in tale homicidium sit statuenda, ut alieno loco, meam non facio quæstionem. Id dico, qui id commiserit, criminis non omninò absolvi, eoque privilegio Asyli gaudere non posse, quod in solius innocentie

tix

tutelam conditum supponimus. Peccatis enim non excusantur peccata, sed onerantur magis; nec qui ebrius stuprum fecerit, ideò innocens est. Et si affectuum calor à peccato absolveret, quid amplius culpabile foret, quum omnis noxa pravorum affectuum filia sit? Num ei etiam Asylum patere debeat, qui necessitate defensionis sui subactus alterum neci dederit, quæri solet. Ego affirmantibus omninò accesserim, si adsit, quod vocant, moderamen inculpatae tutelæ, periculum præsens, & quasi in puncto, locus fugæ nullus; nec vanus metus sibi & vitæ periculum ab alio finxerit. Aliter sentio, si quis ob necessarium vel casuale homicidium captus manibus se tenentium eripiens ad Asylum confugerit. Tunc enim, quia novi se flagitii reum facit,

Grot. de

I. B. & P

lib. 2. c.

1. §. 5.

E

&

& ante causam a Judice cognitam suo se arbitrio absolvit, omninò ad poenam ex Asylo abstrahendus est. De servis nulla hodie quidem superest deliberatio, exoleto illo prisco servorum jure, & sævitiâ Dominorum Legum saluberrimarum vinculis ad mansuetudinem deductâ. Ubi tamen mancipiorum id jus (quod *Leibeigenschaft* vocamus) in multis Germaniæ locis viget, quin ab Asyulis legitimum patrocinium petant hujus generis subditi, si intolerabilis sit Dominorum violentia, nullus ambigo. Ubi dubia est supplicis causa & anceps de ejus innocentia vel culpa judicium, gaudere hoc privilegio, donec causa ejus disceptata fuerit, potest. Favorabilia enim sunt extendenda. De iis, qui ita adversâ fortunâ jactati sunt, ut ex magna vel sufficienti opulentia

lencia in arctissimas rerum angustias reciderint, adeoque æs alienum ingens conflaverint, alia est difficultas. Sanè si certò constet, nullam suam ad id planè intervenisse culpam, nemo tam iniquus & Christianæ charitatis exsors est, quin tales Asyli se immunitate tutari posse concedat. Sin comperti fuerint luxu, desidiâ, prodigalitate hoc sibi infortunium in fraudem creditorum accelerâsse, nulla ipsos protegat religio, ne impunitatis spes alios etiam in similes fraudes impellat, & inertium hominum multitudine Civitas compleatur: licet mortalium impudentissimus *Diana loc. sup. cit.* etiam Mercatoribus, qui fraudulenter sua decoxerunt, (Banquerottierer vulgò dicuntur) Asyli privilegium indulgeat, affirmetque, ita Romæ

E2

in

in Sacra (scilicet!) Cardinalium
 Congregatione fuisse decisum.
 Vid. *Ritterskus. de Fur. Asyl. c. 6.*
 Sed annon hæc jura, quæ nos
 ex recto rationis præcepto ad eò
 arctavimus, Summa Potestas
 pro temporibus Reip. & in com-
 mune Civilis societatis bonum
 dilatare jure, ut vocant, Domi-
 nationis potest? Inter eruditos
 lib. 4. de
 Arcan. vir magni nominis *Clapmarus*
 Reip. c. 5 affirmavit, etiam facinorosis
 aperire posse Asyla qui Princi-
 pem in Civitate locum tenet,
 atque ex occasione exemplum
 Romuli allegavit probavitque,
 quòd inopiâ Civium laboran-
 tem Urbem tali consilio multi-
 tudine impleverit. Quæ meo
 quidem judicio cum grano salis
 sunt accipienda, & facinorum
 diligenter statuendum discrimen.
 Aliquando ad demeren-
 dum aliquem populum, præfer-
 tim in novo regimine, in debi-
 torum

torum publicorum remissionem Asylum posse condi facile dederim : & Demetrius Rex Hierosolymis in ipso Templo ejusmodi refugium instituit. Et Romæ tabulas novas propositas, si non aliter sua Reipub. quies contare poterat, non ignorant Historiæ Romanæ lectores. Sed æs alienum levius est crimen, & ex summæ Potestatis nutu justissimè sæpe impetrat veniam. Quid si juris divini violatores, morum gentium ruptores, & publicas pestes, propositâ impunitate, novæ Urbis conditor Princeps ad Asylum vocaverit? An etiam id legitimè fecerit? *Cupio quidem* (verba sunt *Plinii*) *Patriam omnibus rebus augeri, maximè tamen Civium numero: id enim oppidis firmissimum ornamentum.* Sed, quod fit dempto poenarum metu, facinora justè ali & publicâ

1. Macc.
10. 43.

libr. 7.
epist. 32

E 3

au.

auctoritate muniri improbo-
 rum receptus, id non idè con-
 cesserim. Neque unquam lau-
 dare possum factum Cosmi Ma-
 gni Ducis Thuscanae, qui, ut
 Portum Ferajum Civibus im-
 pleret, omnibus ob quodcun-
 que crimen exulibus ibi refu-
 gium esse voluit: quod confi-
 lium etiam secutus est ipsius
 filius Franciscus, ut Pisam &
 Livornium multitudine auge-
 ret. Quam eandem cogitatio-
 nem, ut jam supra retuli, in-
 condendis Thebis habuit Cad-
 mus, & in sua Roma Romulus,
 licet hoc quoque apud *Halicar-*
nassum inveniam, non eam so-
 lam eum Asyli ponendi caus-
 sam habuisse; sed & hanc, τῶν
 τῶν ἑσπέρων διωόμεναι ἐλαττώσαι
labefactare vires finitimorum. Sed
 hi valeant cum ascititiis suis Ci-
 vibus. Mihi nulla placet augen-
 dae multitudinis ratio, nisi quæ
 ho-

Faust. in
 Consil.
 pro Ær-
 ar. Conf.
 34. ord.
 1079.

honestâ & à virtute: nec ulla
 tanta necessitas, quæ declinare
 ab honestatis norma jure cogat.
 Fidem verò ab iis, aut ut in pu-
 blicum unquam bonum con-
 sentiant, qui ex aliis alii caus-
 sis, impunitatis verò spe & pœ-
 narum fugâ omnes, in unum
 sic coaluerunt, quis speraverit?
 quin imò melior & indigena
 Civitatis pars contagione &
 commerciis pejorum ipsa quo-
 que vitium trahet. Nunquam
 itaque licita, nunquam hone-
 sta, nunquam utilia in extru-
 endis nobis Urbibus facinoro-
 forum Asyla. Verum an et-
 iam in Ethnicorum vel Pontifi-
 ciorum Asyla confugere homi-
 ni Christiano & Reformato li-
 ceat, quæstionem agitari video,
 quam brevi ita expedio. Oniæ
 Pontifici Judæorum, ut supra
 jam memoravi, Daphnem,
 quod Gentilis Dei idoleum
 E 4 fuit,

fuit, se recepisse nullibi vitio
 vertitur. Quidni & Christiano
 id liceret? Subest etiam
 exemploratio. Aliud enim est
 causa Asyli, aliud usus: illa po-
 test esse superstitiosa, ideoque
 mala; hic bonus & merè Politi-
 cus. Religionem pravam A-
 sylo tribuere potest statuentis
 arbitrium, quam tamen non
 agnoscit supplicis sinceritas. Et
 in sua Tempora Hæreticos, ubi
 timor periculi & cura salutis
 eos impulerit, admittunt ipsi
 Pontificii. Ego sanè nihil hîc
 invenio, quod cum pietate pu-
 gnet, si absit falsorum sacrorum
 veneratio, & nullum nisi ex
 loco petatur præsidium. Exce-
 deret justæ Dissertationis mo-
 dum hæc mea opella, si omnia,
 quæ ad hanc explanandam ma-
 teriem faciunt, differre vellem.
 Ideoque ne vel mihi scribenti
 vel studioso Lectori tædium fa-
 cerem,

cerem, paucis verbis meam
 haftenus sententiam indicasse,
 satis habui, fusiores explicatio-
 nes in aliud fortè tempus di-
 laturus, & quæ deinceps enar-
 raturus sum, quæ pauca super-
 sunt, pari breuitate percurram.
 Quæ inter hoc est: quisnam vi-
 ctum supplicibus præstare de-
 beat? *Ex l. presenti C. de his qui
 ad Eccles. confug. & c. desinivit. 17.
 q. 4. patet, eum ex fisco Ecclesie,*
 ad quam supplex confugit, olim
 fuisse datum. Mihi res distin-
 ctione videtur posse absolvi.
 Aut bona secum aliqua attulit
 supplex (semper de illo loquor,
 cui iusta refugii causa) aut nul-
 la. Si prius, ex iis alatur, ne
 cuiquam sua fortuna molesta
 sit: sin posterius, operi alicui
 intentus manu sibi victum quæ-
 rat. Si ne hoc quidem per ali-
 quam corporis infirmitatem
 possit, Ecclesiam ei, velut pau-
 peri,

Es peri,

peri, res vitæ necessarias mini-
 strare charitas jubet; ita ta-
 men, ut, si bona quidem ha-
 beat, copia verò eorum ob
 aliquod obstaculum non detur,
 mox, ubi in libertatem & fa-
 cultatum suarum possessionem
 restitutus fuerit, damnum Ec-
 clesie refarciat. Illud hic ex oc-
 casione moneo, non personam
 tantum supplicis, sed bona
 quoque mobilia, quæ secum in
 Asylum attulit, tuta loci securi-
 tate à persequentis vi præstari;
 quum accessoria sequantur su-
 um principale, juxta Regulam
 Juris; & in Legatorum sancti-
 tate, quam non multò majo-
 rem sancivit Gentium arbitri-
 um, quàm supplicibus suis esse
 voluit summæ potestatis volun-
 tas, idem Juris obtineat. Et
 quid tandem fatistuti esset vel
 personæ supplicis, si bonorum,
 quæ secum ille habet, admitte-
 retur

retur vindicatio? Nihil enim frequentius, quàm leviter indultis in majorum etiam peccatorum excusationem abuti. Non dum te demitto, Lector, nisi hæc litteraria mea decreta cancellis quibusdam concluderim, ne, quæ hæctenus absolute posui, velut indulgentius dicta accipias. Hæc itaque monita in his observari velim: 1. Non cujuscunque inferioris Magistratus, sed Principalis auspicii rem esse Asylo- rum constitutionem. Idcirco inter Regalia, uti vocat Politicorum Schola, ea vulgò censetur: nec temere ad privatum fastigium deducenda est; sed illius, qui summum in Rep. locum tenet, cujusque est in omnia regimen (sive jam sit Rex, sive Optimates, sive Populus) peragenda nutu atq; arbitrio; tum ut major insit locis veneratio, si ab absolutiori

Iūctiori omnia ex se dispensantis,
 ad se revocantis potestate ἀσολα
 facta fuerint; tum ne nimium
 frequentia fiant, condendi ea in
 promiscuo posito jure & cum
 inferioribus Magistratibus com-
 municato. Illud enim jam se-
 cundo loco moneo, ut paucissi-
 ma ea sint in aliqua regione, ne
 in nimia eorum copia licentiū
 agant subiecti, & propinquā
 tutelæ spe minus curatè, minus
 circumspectè, minus diligenter
 sua administrant. Univerſa
 tantum amplexa spatii Palæsti-
 na non nisi sex refugii Urbes ha-
 buit. Quò magis improbo Gen-
 tilium Ponticiorūque super-
 stitionem, qui omnibus Templis,
 in quibus sacra officia celebran-
 tur, ipsis etiam Xenodochiis,
 inūnitatis privilegium imperti-
 ti sunt, licet nullâ speciali sumæ
 potestatis concessione illud ac-
 ceperint. De Pontificiis supra

ex

ex *Covarruvia* probavimus. De
 Gentilibus Auctor esse potest
 quum *Xenophon*, ubi refert, A- *lib. 4. de*
 gesilaum bello contra Theba- *reb. gest.*
 nos eorumque socios, quum *Græc.*
 comperisset, circa octoginta
 ex hostibus armatos ad Tem-
 plum (quod nullibi consecra-
 tionis Lege Asylum factum le-
 go) confugisse, intactos quò
 vellent dimitti, & ab omni in-
 juria illatos servari jussisse:
 tum *Curius*, apud quem Ale- *lib. 4. c.*
 xander Tyriis omnibus, qui ad *4. n. 15.*
 Tempia confugissent, pepercisse
 dicitur. 3. Ut curæ habeatur,
 ne, qui in Asyla se receperint,
 inde elabantur, donec Legibus
 interrogati & causa eorum
 à Judice cognita fuerit, ut, si
 fontes deprehendantur, meri-
 tæ ab ipsis poenæ exigì possint.
 Ob tales certè aliquando incen-
 sa Tempia, obstructas valvas,
 aperta tecta in Historiis legi-
 mus;

mus ; jure, an injuriâ, judicat
Rittershusius cap. 9. de Fur. Asyl.
 Ego nullam video necessita-
 tem, quæ ad hæc extrema de-
 venire jubeat, quum aliàs sum-
 ma potestas sine piaculo nocen-
 tes de Templis detrahare pos-
 sit. Sed quid si extra territo-
 rium profugerint facinorosi, in
 quo nullum tibi juris sit? Ex
 rectæ rationis dictamine re-
 spondendum erit, tales de posci
 ad pœnam & ab altera illa po-
 testate, ad quam profugerunt,
 dedi deberi : nulla enim scelera
 impune committi natura vult :
 & in quæ flagitia non ruerent
 homines, si eos pœnarum im-
 munes præstaret ad finitimos
 fuga, quum aliàs ex Legibus
 metus non amplius satis vali-
 dus sit ad coërcendas morta-
 lium libidines? Verùm hoc,
 quod dixi, naturæ jus in pleris-
 que Europæ partibus hodiè cir-
 ca

ca ea demum crimina usurpa-
 tur, quæ statum publicum tur-
 bant, aut eximiam habent faci-
 noris atrocitatem. Nam mi-
 nora mutuâ dissimulatione
 transmitti invaluit, nisi foede-
 ris Legibus propius quid con-
 venerit. Vide de hac materie
 valde πολιτικῶς & suo more disse-
 rentem *Hugonem Grotium* in au-
 reo *de Jure belli & pacis* libro &
Rittershus. d. l. c. II.

lib. 2. c.


21. n. 5.

EPILOGUS.

ITa habes, Amice Lector,
 quæ præteritâ hâc hieme
 de Historia & Jure Asylorum
 meditatus sum; in quibus me
 haud equidem multum novi
 adferre, sed aliorum potissi-
 mùm placita repetere, jam ini-
 tio præfatus sum. Quibus si
 & olim alteram manum adhi-
 beam,


beam, fiet fortè, ut puerilium
 laborum pudore & poenitentia
 verso stylo unâ liturâ quidquid
 hujus est deleam. Tu interim
 his spe meliorum fruere, quæ
 sane dederit subsequens ætas,
 si & DEUS vires concedet, &
 qui mihi ad hanc scriptionem
 Auctores fuere, constanti,
 quod hætenus, favore me
 prosequi pergent.

Vale.



m
iâ
id
m
æ
as,
&
em
i,
e

ob
ni
ni
bs
ni
ni
ni
ni



De 33391

Ex. beg.

Cont. 00


ULB Halle
007 398 174

3



W12

M





JOH. HENRICI
RHONI
JUS SUPPLICUM.
SIVE
DISSERTATIO
HISTORICO-
POLITICA
DE
ASYLLIS.



TIGURI,
ANNO
—
clc lcv LXVII,
f.

